



Vae victis : Iusus rhetorum advaticorum adversus Leydenses eructationes

<https://hdl.handle.net/1874/14639>

VÆ VICTIS

LVSVS

R H E T O R V M

ADVATICORVM

ADVERSVS

L E Y D E N S E S
ERVCTATIONES

M V N E R A R I O

GODEFRIDO VRANCKEN,



EXCVDEBAT

MECASTOR AEDEPOL

1609.

Ampliss. b. M. Veffero 18.

ARGUMENTVM PARTIS I.

Variè agitatur; Sítne responsione dignus Leydensis popinæ vomitus, quo inspersæ chartæ nuperi libelli.

1. Exordium sermonis. De libellulo naufraga.
2. Videri à Rhetoribus refutandum.
3. Non videri.
4. Insultatio victis.
5. Caluinianis terror Bonarscius laudatur à Lipsio.
6. Societas et sv extra istum calumniarum.
7. Recudunt calumnias refutatas.
8. Sententia de Refutatione.

PARTIS II.

Agitur carminibus aduersus selecta capita fæmoi libelli ex Ritu priscae Recitationis.

LECTORI S.

O ætas! ô Criticorum nasi! ô fastidia!

Tres mihi coniuæ propè dissentire videntur.
Poscentes vario multùm diuersa palato. (tert)
Quid dem? quid nō dem? renuis tu, quod iubet al-
Quod petis, id sanè est inuisum acidumq; duobus.

Scribimus ampullata, sesquipedalia, cothurnata?
Vulgus barbariem obijcit, & galeam &
calceos poscit, ut inter saxa obambulet: Pue-
ros nos vocat Amusos; irata Pallade monstra
effundere, malorum coruorum pessima oua.
Plebeia adferimus, & vix socco digna? docti
calcant pedibus.

Quid dem? quid non dem?

— Medio tutissimus ibo,

Et à summo discedam, nec vergam ad imum.
Sectabor sermoni propiora, quam bracteata
& à paucis probanda superbiloquentiae. Erit
sermo, quem plebeij Litteratorum intelli-
gant, Proceres non fastidiant.

*Exordium sermonis. De libellulo
nausea.*

RAT Annus Sæculi sextide ci-
mi octauis usque ad umbilicum
mortuus; & in nouëdiali Scho-
larum diludio, alter à nata Salute
aies agebat, D. Stephani coronæ facer.
Frigus feruebat; igni attèderam. Voluebam
manu Principem Lyricorum Torrentium,
eumque cum Sannazario de partu Virginis
conferebam, ambigens an Italo Belga mul-
tum deberet; cum pro veteri consuetu-
dine inuolantem in humeros à tergo an-
te adesse sensi, quām viderem, dulcissimum
meum collegam, Rhetoricæ Imperatorem,
Arnoldum Del Plano; qui cum blandè cauis
manibus humeros pulsitasset: Quid mihi
erit pretij, mi Godefride, inquit, si ego tibi
& Rhetoribus nostris campum gloriæ ape-
riam, longè ampliorem, quām erat dorsum
Schlaffianū in superiore Rhetorum cursu?
Tum manu in sublime exsertans libellum
tribolarem, priusquam mihi aut salutandi
aut percunctandi copiam faceret, subridens
simul & subsultas adiecit: Hic liber, hic est,
quem si refutare volumus, sicut Maiores
nostrí Schlaffum, validi Virgatores, ita
Y R G I S varie varium fecerunt;

*Ut ne peristromata quidem & que picta sint
Campanica,
Neque Alexandrina, belluata, conchy-
liata tapetia;*

nil caussæ est, quin & nos furcam crucemq;
ceruici Cattoru imponendo triumphemus,
victis ex Varronis Satyra incla-
memus, Famæ litemus, digni tantis præ-
cessoribus videamur.

Additurus videbatur multa à Titulo ad
cornua & vmbilicū vsque conuicia, nisi ego
bilem vt fidere pateretur, hortatus fuisset,
simulq; monuisse Patroclianas illas char-
tas mihi pridem suboluisse, bullam & pre-
textam ingenuæ adolescentiæ nostræ hor-
rere istas Sodomiticas eructationes; malle
me Fama carere, quam Caſtitatis iacturam
facere; libellū istum lutum esse & vomitum
Nepotum aliquot cum suo Auo Scaligero
in popina pergræcantium; tractari non pos-
se, quin aut digitum aut vestem inquines;
ignem esse de Busto Gomorrhico, aut fumo
fuliginem, aut flamma incendium facere;
Schlaffium, velut infantem, virges ex-
piandum fuisse; hæc, velut contagiosa,
Vulcano tradenda.

*Videri à Rhetoribus
refutandum.*

Ad hæc attonito similis stetit Arnoldus ,
& cùm aliquamdiu me tacitus adspexisset ;
Feruidus es , inquit , & in aliam à me sen-
tentiam discedis : ambulemus ad arbitrum ,
quem ego , nisi tibi displiceret , esse volo Lu-
cam Theodori , in illa arena Schlaßiana , non
vnius palmae gladiatorem , iam rude dona-
tum . Placet , inquam , oppido ; quis arbiter
melior ? æquè amat vtrumque . Dixi , so-
leas & pallium sumpsi : iuimus , Muscū Lu-
cæ intrauiimus : vix pedem intulerat , quan-
do ~~αὐτὸν προσειπίς~~ , sed non ~~αὐτὸν πατῶ~~ , Luca , inquit
Arnoldus , arbiter eris , audi :

Prodijt ab Hollandica calumniarum Cal-
uinianarum officina plaustrū conuiciorum
in Scribanum optimum Rectorem , in alios
Societatis Iesu Heroas ; vidisse te arbitror ,
& risisse , & Sclaffij stribligines in memo-
riam reuocasse : libellus est , cui nec tuto pi-
per aut cicer incuculletur , adeo fœdā exha-
lat Mephitim . Sunt ægrorum , ebriorū , infâ-
norum Molossi Burdici pusionum somnia .

— *Vane*

*Finguntur species , vt nec pes , nec caput vni
Reddatur forma . —*

Quidquid ipsi fecerunt , id I E S V Societa-
tem fecisse comminiscuntur . Hoc feramus
inulti? Standum est nobis in magnis vesti-
gijs

gijstuis, & Rhetorum, à quibus nos in cur-
fu lampada accepimus.

Quid? quod de honore nostro agitur! nos
enim Catamiti dici nolumus ab isto mulie-
rum fastidioso grege. Testis est mihi Deus,
me cum tot congerribus sexēnio decur-
rentem litteraria spatia, sub tot Societatis
I E S V Gymnasiarchis, non vnam ser-
monis ansam habuisse, vnde tenerem vel
vmbram criminum, quibus illi purissimos
Patres onerant. Hæc iniuria nos spectat: er-
go nos omnes Spori sumus, Hyacinthi, Ga-
nymedes. Rethores superiore anno, non
lacefitti, virgatum iuerunt; nos tacebimus?

§. 3.

Non videri.

Tacebat Arnoldus Del Plano: &, Calidum
te video, inquit Lucas; nunc da spatum lo-
quendi Godefrido, cui, ne inaudita parte
altera quid statuam, alteram aurem referuo.

Tunc sic exorsus sum; Lubēs ego illud mi-
nerual, si opus sit, persoluam Societati, cui
tot annis pro tot sudoribus nihil rependi. Si
videtur tibia Poëtica inflanda, non ero so-
cors; difflauero illas fauillas Gomorrhicas
tam facile quā canis exsta edit. Sed hoc me
tangit, quod non sint Regij pueri, immo nec
ingenui, quibuscum ludemur; scurræ sunt,
qui, cùm suis laudibus assurgere nequeant,
quærunt famam, vt Herostratus Diana fa-
num inflammando, ita claros viros mor-

dendo. Deinde maledicendi & male audiendi non erit meta.

*Cædimus, inq[ue] vicem præbemus crura sagittis,
Lento Samnites ad lumina prima duello.*

Cum Cattis illis configere, est ad bestias damnatum esse. Eritne nobis, quæcies illi ebrij in popina vomuerint, cum peniculo veniendum, & semper in istis oletis naufragandum? Finieram, & mecum filebat Del Plano. Audi ad sententiā Lucæ audiendam, aures oculosq[ue]; vertebamus. At ille: Quando vos quidem, ait, me arbitrū legistis; arbitror non fore abs rē, si vos ex me de tota hac Leydensium maledicentia, quæ sentio, prius pauca audiatis, quam ego controuersiæ veritàtē lata sententia finem imponam.

§. 4.

Insultatio victis.

Respōdit vterque: Ut vis, volumus. Videtis, ait Lucas, Florum, qui mihi est in deliciis, nūc esse in manibus; ab illo exordiar, ubi de Mithridatico bello felix & audax in magnificis Epiphonematis acclamabat Florus; nos de Cattorum in Societatem IESV calunniis dicamus: Et Hollandi quidem, & Caluiniani omnes in Amphitheatro debellati sunt: nihil enim postea valuerunt, quanquam omnia experti more anguum, qui obtrito capite, postremū cauda minantur. Verè victi sunt, verè debellati. Si quid enim valēt, depromat. Audeant Scribaniū direcțe intueri: vel unum opere ex magno & ater-

æternū de Calūnia triumphaturo verbum
excerpant, de quo, Imprudens est, Falsum
est, dicere audeant. In campum, in campū;
vt & illis tuba Homerica classicum sonet

I A I A Δ. N.

*Φεύγαντες δέργοι Κάνος Κακούργοθελύπενος
Α' των αργ' ἀστριδί' ἔργειδε, κόρης κόρην ἀνέρα δάρηε,*

Qued, vt alia multa, sic vertebat Virgi-
lius Aeneid. 10.

*Coniurrunt; haret pedepes, densusque viro vir.
Intumesce contra Amphitheatrum, ὁ ρα-
na Gebennica, Hollandica;*

— *Non si te ruperis, inquam.*

Par eris. —

Amphitheatru & illi de Battavia Pyrgopol-
nices si atate Troianorum fuissent, non
iam proverbiū esset, — *Impar congressus Achilli.*

Sed [*Pugna Calūmianorum cum Bonarscio.*] Aude; ὁ γρεξ Maledicorum,

*Nequidquam Veneris presidio ferox
Peccles Cæsariem, grataq; feminis
Imbelli cithara carmina diuides;*

Aude inspectare, aude exspectare Bonar-
sciuni:

*Quem tu, ceruus uti vallis in altera
Visum parte lupum, graminis immemor,
Sublimi fugies mollis anhelitu.*

§. 5.

Bonarscius laudatur.

Profectò de isto R. P. Rectore mihi ocu-

Iis meis chariore maiora dicerem, nisi in
 magna fronte magnum haberet pudorem,
 & ad omnem laudem erubesceret. Hoc ta-
 men ut omittam nefas duxero, quod Pater
 Praefectus (cui vel iniurato vos fidem ha-
 bebitis) commemorare solet, audisse se ex
 ore Lipsi litterarum Phoenicis, in familia-
 ri sermone cum diceret: Amphitheatrum,
 quod nuper ad me attulisti, euolui totum.
 Virum habetis ignibus plenum. Iacent illi
 gladiatores Calviniani, pedibus calcari pos-
 sūt; nulla artas videbit ut vel mutire audeāt:
 sic trastari decuit istos latratores, & uno
 libro, velut telo, iugulari. Aeternū est opus,
 tersum, doctum, solidum. Certat cum pris-
 cis, laudabitur à posteris; plus habet in re-
 cessu, quam in vestibulo. Salebræ apparent
 multæ, sed indoctis. Quis vero satis admire-
 tur & exclamat in versibus? Iuvenalis si re-
 diuuus sit, illas Satyras velit esse suas; Odas
 Horatius; Scazōtes Martialis; Propertius Ele-
 gias. Hæc ab illo litteratissimo viro P. Praefec-
 tus, cum Louanijs Theologiae operam daret,
 totidem pæne verbis accepisse cōmeminīt.
 Si quid habent illi Bardocuculliones in
 Cinimerijs gurgustijs suis quod in lucem
 proferant, partem aliquam Amphitheatri
 sibi oppugnandā deligant, nec obijcant in-
 suffia illa & magis à se mutuo diuilla dicta-
 ria, quam erant membra illa pueri quæ per
 tot agros soror fugitiua Medea spargebat,
 patrem ut colligendo retardaret. hic astus
 est

est quo Societatem IESV ludere & distinere dum sat agunt, non sat agunt; saltant, sed extra oleas; hic accommodemus quod est in Suidæ Paroëmia:

Αὕτας αἱ πίττουν, οὐδὲ αἱ πηγαὶ τῆλαι σάρπας.

Falces petebam, at hi ligones denegant.

Non vnum membrum alteri hæret, euolui libellulum; nec haec tenus videre me memini sex lineas quæ in vnum scopum collimarent.

§. 6.

Societas extra iustum calumnia.

Aptemus ergo, inquam, Hollandis quod dicebat Mimus:

*Næ! mihi videntur isti homines maledicendo assequi,
Omnia & nihil dicendo, ut omnia taceant & nihil.*

Immo vero reposuit Lucas, & nihil agut, & omnia dicunt. Nihil agunt; nam vt recte Seneca de Sapiente extra iniuriam posito cap. 4. ego de Societate IESV: Etiam cum potentes & imperio editi, & consensu seruictium validi, nocere ei tentent, tam citra Sapientem omnes eorum impetus deficient, quæ in quo nero tormetive in altum exprimuntur, cum extra visum exsiliuerunt, citra cælum tamen flectuntur. Quid tu putas? cum stolidus ille Rex multitudine telorum diem obscurasset, yllam sagittâ in solem incidisse?

se? aut demissis in profundū catenis Neptunū potuisse contingi? Ut cælestia humanaς manus effugiunt, & ab his qui templā diruunt, aut simulacra confiant, nihil diuinitati nocetur; ita quidquid fit in Sapientem proteriē, petulāter, superbè, frustra tētatur. Et capite 3. Non ideo diuina minūs in sublimi sunt, si exsistunt qui magnitudinem multūm vltra se positam non iecturi petant. Inuulnerabile est, non quod non feritur, sed quod non lœditur. Ex hac tibi nota Sapientem exhibeo. Talis etiam varijs similitudinibus depingitur Societas I E S V in Amphitheatro, l. i. c. i. Clypeus est, scopulus est, sol est, adamas est illa Societas; illæsa, immo hilariis male à malis audit propter nomē I E S V.

§. 7.

Recudunt hæretici refutatas calumnias.

Dicunt omnia; olim dicta; recoquunt eandem cramben; & velut Pancarpion faciunt ex omnibus conuicijs omnium, quæ meminimus, temporum. Hoc est quod Tertullianus, quem vos videtis à me tritum, imputabat suis Valentinianis c. 12., ego nostris Caluinianis; qui ex ære collatio calumnias cōflantes velut ~~per se~~ congregarāt in Societate I E S V, sanctissimū ordinem; ut libido fuerit cognominat; & omnia iam, ut ex omnium defloratione constructum, Graculum Aesopi, Pandoram Hesiodi, Acci

Patinam, Nestoris Cocetum, Miscellaneam
Ptolemæi. Quām meritō has Corniculas
rideat Horatius,

— *Si forte suas repetitum venerit olim
Grex auium plumas;* —

suas Eques Polonus , Misenus suas , suas
Hasmillerus; Marion, Paschasius, Arnaldus
suas ; suas ferrea fronte fabulatores, qui Pe-
tri Panne sicas , Conuentus Madridiensis
vulnera, & Augustanæ ~~βειφοντονιας~~ crudelita-
tem, chimeras meras comminiscuntur! Nec
deerūt tamen, qui, vt insanis mos est, in qua
voce maledicentiq; insanire cœperint, in ea-
dem pergant clamare vlique ad rauim .

§. 8.

Sententia de refutatione.

Cum his quis prudens verba faciet? Hel-
leboro caput primitus defæcandum ; post-
quam ab Anticyris solpites redierint, tum
ego eos remittendos censem ad Apologias
Richomij, Gretseri, lungij, Schondonchi,
Valignani, Valladerij, Scribani, Augerij,
Turriani, De Valcetia. Has vbi peruvoluerint,
& aliquid attulerint nouæ criminacionis,
tum licet antestari, in ius Iesuitæ ambula-
bunt ad quemuis Senatum Hollandicum.
Ne tamen nihil factum videatur; audite Ar-
bitrum, quem vos ipsi delegistis; ita senten-
tiam pronuntio. Quando tu quidem, Gode-
fride Vrancken, nauteum illum libellū fine
stomacho

stomacho tractare non potes , au^ctor sum
 vt illum Lemnio deo consecratū velis. De-
 inde arbitror paucula calumniarum capita
 distributis partibus à S. P. Q. Rhetoricæ re-
 futanda: non quod toties refutatæ calum-
 niæ refutatione egere videantur, aut spes sit
 Cattos fore plagismeliores; sed ne degene-
 res maioribus vestris Schlaſij Triumpha-
 toribus videamini ; & simul metuant illi
 Scarabei , vos Aquilas Iacellere, qui in nido
 implumes adhuc, tamen rostrum & vngues
 ostendetis. Igitur in hanc rem Imperatores
 ambo conuentum à meridie indicite ; fre-
 quentes in horam secundam pomeridia-
 nam per Accensum calandos curate . Ita
 decreuerat , & ambo vna voce acclamaui-
 mus; Vti vis , vti iubes . Dextras iunximus ,
 ac velut Hannibales noui sacramētum dixi-
 mus, Populo Caluiniano Calumniatorum
 æternū nos iuratos & implacabiles ho-
 stes fore; donec vita superflua erit, stylo pu-
 gnaturos. A Luca laudati, immo animati fui-
 mus , solenni ritu gratias egimus , valedi-
 ximus , abiuiimus.

R I T V M P R I S C Æ R E C I T A T I O N I S.

Dies edictus aderat, prid. Kal. Ian., in quēm diem, codicillis missis, libellisque sparsis, aduocatus S. P. Q. Rheticus Aduaticorū, frequens ad Rheticæ Gymnasium conuenit, æstuans desiderio audiendi quām amica quisque Minerua datā sibi ab Imperatori- bus spartā quādriū spatio exornasset; prurie- bant aures omnibus; omnes linguis faucibāt. Ecce tibi assurrexit Reip. Rheticæ Augu- stus Imperator I. Godefridus, & precatus

F E L I C I T E R,

Non decebat quidem, ait, me Imperato- rem cantando cōgredi cum istis fibulatis hi- strionibus Leydenibus, ut imperium meum etiam hac in re sit dissimile Neroniano: quia tamē saepe in Apollinis Palatini templo ver- sus ab Imperatoribus pro lauru & acclama- tione ambitiosè recitati sunt, & ut exem- ple meo S. P. Q. Rheticus animetur; ad- fero vobis prolusionem in caput istius ma- ledicæ factiōnis Iosephum, nec Cæfarem, nec Scaligerum, qui post omnia boni & mo- desti viri ornementa etiam naulum perdi- dit. Audite taciti, & acclamatiōnes longi- ribus versibus referuate;

Alas

*Alas Scaliger abiice atque scalas;
 Nam Stygis lacrymabiles ad undas,
 Quo miser miser ab miselle tendis,
 Nec scalis opus est, opus nec alis.
 nisi manultis ad hunc tornum.
 Nil profunt scalæ, nil profunt, Scaliger, ale,
 Si quis ad infernas est abiturus aquas.*

A L I V D.

*Cum priscos Soles, cariosaq; sœcula narres,
 Ceu tibi sit magni diphthera lecta Iouis;
 Cumq; audax superi scruteris mœnia Mundi,
 Sitque tibi Igniferæ semita nota rotæ:
 Exclamas, teneo quæ sunt calog; solisque,
 Et sunt ingenio cuncta minora meo.
 Crede mihi, pæne es, mi Scaliger, Aliger: unū
 Fac modo; litterulas nomine tolle daas.*

E X P L I C A T I O.

*Litterulas poscis? paucis tibi, Scaliger, edam:
 Sigma nocēs, prima est; altera, Cappa nocēs.
 Sigma nocens, tumida est vesana Superbia
 mentis.*

*Corda Gigantæus nam tua faslus habet.
 Cappa nocēs, heu Cappa nocēs, Caluinia fax est.
 Vtulat hæc animum depopulatque tuum.
 Cetera magna in te si sint, diiudicet Orcus:
 Hæc duo si tollas Scaliger, Aliger es.
 Tantū ego: vos decretorijs versibus agite;
 in primis honorē linguaæ Græcæ deferte, cui
 &*

& ego fasceis submitti volo. Sine mora ex-
surrexit alter Imp. Arnoldus, & cum Principi
senatus miniatum libellum, fronte eleganter
pumicata, pro se recitandum tradi curauit,
Facio, inquit, quod Augustus olim fecit;

Ad sacra vatum carmen adfero nostrum.
Adfero Pindaricum palliatum poëma, in
quo, Strophis & Antistrophis, varie incur-
ro in vomitiones bacchantium Leydenfibus
Orgijs calumniatorū. Fauete Togati in hoc
Athenaeo, & non Cæsari, sed carmini Græ-
ce plaudite. Deinde resedit, & P. C. bene lo-
tas aures arreverit, quando exorsus est Prin-
ceps Senatus, ea veste, ut natalem celebrare;
ea voce, ut plasmate collutus videretur.

B

ΦΙΛΟΣ



ΦΙΛΟΥΟΓΟΙΣ

ΑΙΡΕΤΙΚΟΙΣ

καὶ

ΚΕΡΤΟΜΙΟΙΣ

ΣΤΥΚΟΦΑΝΤΑΙΣ

ΣΤΗΝΙΟΝΙΚΟΙΣ

Εἰδος.

Στεφὴ ἀ κώλων?

Δι' Φρεσίειλόποδας χρυσαμπύκηνα Μολ-
σᾶν μελιγάρους ξυνωσαῖς γυγοῖς
Παγάσως, τῶν τε πλερύγεωσιν αἱρέσεις
Πιερόθι, δρεπέμεν καρμαν ἀ-
ττα, χ' ἀψαῦμνων ἐθέλω
Πυρσὸν. Εἴσθ' ὁσπεντέθλων τε φάνων γένεται α-
ναξιφόρμιγγ' ἐν νόμῳ.

Αντισροφὴ κώλ. ζ.

Ἄμυνδεοικε πλυχαῖς αἴνων, κ' ἀσιδᾶν
Σάμερον ὡς μάλα δαιδαλοσέμεν
Συκοφαντᾶν, καὶ φιλοκέρτομον ἔθνος
Αἰρετικῶν, τῶν ὄνειδεος ἐλκύσαν,
Γλῶσσάν τε θοὰν, ἀτε ἀ-
κοντέορσαν χαλικόπάρσεον, αἰμέμπτως ἐς ὅμι-
δως τασγαῖ τέσσαν

CAVILLARI-AMANTIBVS
HÆRETICIS
ET
CONVICIATORIIS
CALVMNIATORIBVS
IN STENIIS
maledicentia ludis
VICTORIBVS
ODE.
Strophe prima.

Bigæ procellipedes Musarū aurea-crinalia-habentium melliloquis coniungens iugis Pegasos, eorumque pennis sublatus in Pieria, cupio carpere laudum florem, & incendere hymnorum facem. Est qui quinquentio-partas coronas degustat cithara-dominante in cantu:

Antistrophe.

nos autem addecet plicis laudum & canticorum hodie quam maximè exornare maledictis-lacerare-amantem gentem Sycophantarū, & Hæreticorum, cui probris vulnerare, linguamque acutam, ceu missile ærea-cuspidé-præfixū iacere inculpatas in congregaciones Iesuitarum

Ἐπωδὸς καλ. τε.

Ἐ'λδωρ. Αἴθανᾶν ἐν τελεῖσι πόκαται
φε στηνίαν

Μάρμοσάγῶνα, σὺ ωγυλωσο-
μαχέμεν, καὶ ἐνίπτεν γίναε-
κεῖ τοῦτα κερτομίας

Διθυραμβῶν σατυρῶν

Αἰζονες λαρυπέζ απόδρεψον κλέσσ.

Οἳστοι τε ἄλλοι

Μαρματοῖ γῆν μάρματος θέπων

Τόξοις δύνατοι, παλάμοις τε

Κακτούρη Φάρμαν ἀμάρμ-

Στροφὴ β'. καλ. ζ.

τον Βιότη πόδ' οἰορθοῖς νεῖμαν εἰνὶ

χνεοσ' αἱρετῶν. Λαμυραὶ γὰρ ἀμφιφέ-
μανται αἰθράπων πραπίδας νεμεσεῖς, καὶ
Βασκανίας Φιλόμωρι, αἱ ἀθλοφέ-

τας Μανδάς ἀμείλιχον ὄρ-

γὰν ἐλδοῦν ἐν κραδίᾳ. Τέκερηδή Λοιδορίαν,

Ωἵ γερμὰν Θνατῶν σὺ αἱ-

Αὐτιστρ. καλ. ζ.

Χαὶ ὁλεσίμβροτος Α' δάμον Δραγκων ἐ-

πασθε δολορραφία πεωτοστόρῳ,

Δαζιθύμων. τὸν ταμίαν πανόχαρτον,

Κερτομίαν τ' αἰθλῶν, ἔγκαιριον.

Α' γαρίει ἔπος, Φερενί-

κών τε ἔγκοσμη κορυφὰς κυπαρίσσῳ. Σεμέες
Οἰδαμεν (Φέυγονθ' οὖτιν

Ἐπωδ.

Epodus.

volupe est. Athenarum in festis Iudis quando Momus reprobationis Deus inuenit certamen Steniorum, in quo lingua- configere & conuiciari victoria erat; ibi tum Aezonēses *Cecropiae populus maledicētia infamis* conuicijs dithyrambica-audacia-pollētium satyrarum, clarum decerpserunt nomen. Quotque alij reprehensorēs erant verborum iaculis pugnare validi, calamisque pessimum dare famam eorum qui in culpa-

Strophe 2.

tum vitæ pedem rectis gubernarunt in vestigijs virtutum. Namque procaciter-loquaces indignationes, & inuidentia libenter-vituperantes pendent circum hominum præcordia, postquam certaminis-præses Mænas in corde eorum concitarit placati-imponentem iram. Peperit quidem Contumeliam, quum mortalium in prima ori-

Antistrophe.

gine homini-perda Draco Adamum animæ-vita-cuerit dolis- consutis primūm-seminatis, animi-mordacium dispensatricem alienis-malis-lætantem conuiciatoriorum-que certaminum; laudatorium quæ canit carmen, victorunq[ue] *alumniatorum* exornat vertices cupresso. Semei nouimus (fugienti quando

Ἐπωδ. κάλ. ια.

Δαβίδι προσβάλλειν λίθινον θάνατον
Ωρμάτο) Φα-

ρετροφόρες δόρυ καὶ λύσας
Στοματος, κελαδενάν καὶ αἰκον-
τίσαγι ἐπεισβολίαν.

Νῦν δὲ πολύτων ἔξοχα ἄλ-
λων Στηνιέσ Λαμανικού, ὃν αἴρεσις
Στήθεσι μάίνε-
ται τὰς θ' ὅπλιζε πανταχέ-
ταισάμφ' ὑλακαῖσι τριπα-
ράντα κυνὸς καὶ πλευτέως, ρο-

Στρωφὴ γ'. κάλ. ζ.
δμοῖσι τε αρχεκάκε καὶ ὄργοδακνας,
Ωτε κακορροθέειν σείχοντας ἐν
Ατρεποῖς δοξῶν, καὶ αρεταῖσι μεμαλό-
τας. Λαθέμην Θέμις δ' Βεζᾶ μέντοι
Κῦδος, τε φάναρι τε Α'-
σεμιλήρε, εἰ τε λίθος, δεῦτορες τε, Νέμε-
σις θριαμβεύοντας ὡς

Αὐτιστροφ. κάλ. ζ.
Ἐις Αἴδα μέγαρον τετρεύροις ἐν
Αρματιῆγεν, αἴγανων καμπορεῖ
Ἐκλαβεῖν ἐν φλοξὶ γέρα ζαφλεγέσ, ο-
ν' Εὔμενίδες δρίντοις καψύστ' ἐπαί-
νων, καὶ τυγχὸς ὑδαπι ρα-
νεῖσι. Κένωνις Μαψύλακαι δὲ ἐποντακαρδβο-
ῶντες ἄλλοι, τοῖς ἐν αἱ-

Ἐπωδ.

Epodus.

Davidi iniicere lapideam mortem impellebatur) corytum-terentis oris, & hastā rabiei, & obstreperum conuicium fuisse iaculatum. nunc verò eximie p̄æ omnibus alijs sunt *victores* in Stenijs Lemanici, quorum hæresis in pectoribus bacchatur, quoſque obarmat, & cuncti mordacibus latratibus tricipitis canis Plutonis, fibi-

Strophe tertia.

Iisque mala-inchoantis & mordellæ *Diabolii*, vt conuiciari posint ambulantes in semitis gloriariūm, & virtutum curam habentes. Latere fas non est Bezæ magnum decus, coronamentumque Heliæ Hafensmileri, seu Lithi, Polycarpique Leyseri: quos Nemesis *iniuriarum castigatrix* triumphantes

Antistrophe.

in Ditis palatium quadriugis in curribus inuexit, vt certaminum recipiant mali-fati præmia in flammis acre-ardentibus, vbi ipsos Eumenides chelydris laudum verberabunt, & stygis vnda adspergent. Ipsos autem sequuntur alij inani-blaterones clamoribus-plenum-caput habentes: quos inter prin-

Ἐπωδὸς καλ. τα.

Χόστᾶ πατήσαις ἐν τροχίᾳ Βερόδι^Θ
 Βάνδυμετ' ἀρ-
 ωγῆ, ὁ μέμπορος ὡς καὶ Σαλ-
 μάσι^Θ, Σκλαδφι^Θ. Χαίρετ' ὦν
 Τρισ λογολοιδορον-
 καφόροι. Γλωσσάν μὴ εἰς,
 Καὶ νῦν γειφεῖ ὑμῶν πρεμάσαυ Μάρμου ἔ-
 δει πρὸς θόλον λέ-
 θας, ἢτ' ὄνειδος. Χρυσὸς ἐν
 Περῶντι πρέπει βατάνω,
 Ορθός τε νῦν λάβας ἐνεχθεων.

Auditum est carmē magno silentio, magno plau-
 su auditā acclamatiōnes:

καλῶς, μεγάλως, Καφῶς; & ἡεῖ maxima, Θάσος. & huc
 cerebellitaria, ut Athenaeus Pindaro, μεγαλοφωνοτάτως.
 Iamque sensim deferuerūt ex illi plaudentium,*

Εἴς οὐς κεφαλὴν ἔχοντα
 καμουσός καρδίαν

ΟΜΗΡΟΚΕΝΤΡΟΝ.

Βάνδη ἀμαρτοεστές, Βεγάλε, ποτῶν ἔστωες;
 Οσρέπτα φρεστοσῆσιν ἀκοτρύπε, ποιλά τε γῆδις
 Μάλψατάρος κατάκόσμον ἐριζειδνασάγαδοις,
 Ουκάντοις χρεισμησιν ἐπη ἀνεμώλια βάζειν,
 Εὐγαρδῇ τόγειδμῷ εὐ φρεσίν, εἰσοδὲ πάντες
 Μαρτυροεισοροῶν τες ἀτασθαλα μηχανόντε.
 Αλλά γεδή καὶ δάρος αἰκωνῆς ήμετέροιο
 Γεύσεαι, οφρα ιδημενεὶ φρεσίν, ηδε δασίης.

Νημερτὲς

ceps est eandem calcans orbitam Burdus,
cum auxiliatore Baudaeo: cum quo etiam si-
mul gradiuntur Salmofius, Sclauifius. Salve-
te igitur ter sermonibus conuiciatorijs vi-
ctoria adepti! Linguarū quidem sagittas, &
calani os vestros nunc suspendisse Momum
oportebat de tholo obliuionis, atque op-
probrij. Aurum in explorante coticula
lizide Lydi decenter refulget; sic & recta
mens in calunnia inimicorum.

alterum carmen Gr̄cum recitandi ab Imp. I. Cen-
for Franciscus Colmāns veniam petijt. ea impetrata,
Centonem ait, *Ψευδόνημος Centoni Ψευδάρχων*,
parum malē mixto, ut mandatum erat, repono.

I N B A V D Æ V M
ONOCEPHALVM
ET SYOCARDIVM
HOMERO-CENTO.

BAUDI verbi lues blaterator, qualia dixisti?
Quid strepis incassū, iam friuola multa locutus,
Incomptusque paras famam impugnare proborum?
Non tibi ventosas profit distendere buccas,
Hoc nos, cōcūlti noctum expertūmque fatentur
Qui tua mirantur conuicia persida testes.
Verum agè, nunc nostram, scelus, experiere sagittam
Cominus, ut tua sit lingua tibi nota libido.

Νημερτὲς γάρ τοι μαθήσομαι, γάδ' επικένσω
 Οὐ πίσυ υβριστέλεική ἀγέιος, γάδε δίκαιος,
 Οὐ πεθεῖς αλέγων, καὶ γὰρ νόος εἰς θεύδης,
 Οὐ ποβαρῆς, κυνὸς ὄμματ' ἔχων, κραδίην σπάλω,
 Οὐ τε ποτὲ ἐγώλεμα εναριθμίος, γάτ' εἰς βολῆι,
 Οὐ μὴ σῆς συγερῇ εἰσὶ γαστερί κύντερον ἄλλο
 Ωστερόνος παρὸς ἀρχαριῶν εβίστασ πάιδας
 Ναϊδῆς, ὃ δῆ πολλὰ περὶ ρόπαλ' ἀμφίσεάγη,
 Ψεύδεα αρτύνεις δέ, οὐ θεν κετίς γάδειδοι
 Αἴρεις δέ αὐτῷ καὶ ἐπίκλωσος, οἷα τε πολλά
 Βοσκει γαῖα Βατῶνα πολυσπερέας αὐτούρατος.
 Πλαγκτοσύνης δ' εἰς εἴτι κακώτερον ἄλλο βροτοῖσι,
 Εἴ τι γάρ οὐ μετέροισιν ἐνείδεια μυθίσασθαι
 Πολλὰ μάλις γάδ' αὐτῆς ἐκάλοντο γοστάχθοσαρόδο,
 Στρεπτῆ δὲ γλῶσσ' εσθίμων, πολέεσ δ' εν μῆδαι
 Παντοῖος ἐπέων δὲ πολὺς νομός εὐθα, καὶ εἴθα.

Τῷ περ κάνγεσύ μάνος ἀμελεῖο επῆς ἐκολώνει
 Βαύδε, αἰκριέμεθε, γυναιμανεῖς, ηγεροπεύλα
 Τόξοτα λαβῆ Τηρ, εἰς ἄγλας, παρθενοπῖτα.
 Οὐκ αἱράπιμοσαις σέο μὲν μέγ' αμείνονα φΩτα,
 Τῷ δὲ Κάντιος εἰ, οἵ καὶ πυρὶ χειρασέοιμε,
 Οὐς πυρὶ χειρασέοιμε, μήρος δ' αἴθανι σιδήρῳ,
 Οὐκ αλέγει, ὡς εἰ γυνὴ Βάλοι, εἰ πάις αὐφρων.
 Καφὸν γάρ βέλος ανδρὸς ανάλκιδος γτιδάνοιο,
 Οὐ γὰρ ἐγώ σεο φημὶ χερειότερον βροτὸν ἄλλον.

Hic surrexerant omnes; & iactatis manibus, ob
 Homericas testiculas tam fabre, tam lepidè vermicu-
 latas, acclamassent, nisi prouertisset Imp. I. & ita edi-
 xissent

Dicam igitur, quoniam neque fas est vera filere:
 Omnibus es nimium tu iniurius, horridus, exlex.
 Cura Dei tibi nulla, nec est mens conscientia recti:
 Vini crepusque, canisque, oculis & pectore scrofa es,
 Nusquam in consilio, nusquam numeratus in armis:
 Ventre tuo nil est peiusve, magisve caninum,
 Indomitus contra pueros luclaris asellus.
 O quoties nostri hac fregerunt in cute fustes!
 Et mendaciloquo non cessas rudere rectu;
 Incestus scurra, atque dolosus rabula, quales
 Littus alit Batavum variorum sperma virorum.
 Deterius nil est cunctis erronibus istis,
 Fas quibus innocuis opprobria multa profari,
 Que neque centiuga valeant portare carina;
 Tam lingue membrum est vobis versatile, sermo
 Omnipotens, tantus verborum campus aratur.

Quapropter solus quamuis enormia dicas
 Baudi nucicrepans, Veneris-furor atque superbe,
 Sordide, verborum iaculator, virginis-perda;
 CLARIOR à te vir numquam sine honore recedet,
 Frustra huic insultas, cuius dat dextera flammam,
 Dextera dat flammam, similantur robora ferro:
 Te reputat quasi feminineum, insipidumque puellum.
 Vile viri imbellis telum & contusa sagitta est:
 Te siquidem non est hominum contemptior ullus.

xisset: Ob hocce carmen ego tibi, Franciscus Censor,
 statuam è regione Homeri ære collato dicandam decerno in
 Bibliotheca Aduatrica, quæ nunc Ecclesiastici ciuilisque Colle-
 gij

gij manificētia auspicijs Mirranis Svveertianisq; adornatur.

Et ego me, respondit Censor, dedico consecroque laudi-
bus Societatis et sv decantandis, calumnijs Cattorum exsi-
bilandis; in quam rem sic ego, in vmbra, magna sub Augu-
stum pugnē, si nos lassent, rudimenta pono, & Asinum
istum in propria pelle quiescere vel tacere doceo.

Eis Baudais Iāμβες.

Baudais πολύς εσ' ἐν ἔπεων ιανθος ἐνίπτειν
πειρήγαρ οἷος τέ γε πόνος, καὶ οὐδέποτε.
Αἴ προσίτως!

Eis τὸν αὐτὸν περόνη λαρῶνται.

Baudais πόρημνη καταρέσθεναί μη προσάπτεις
Οἶδε, οὐ πόρημνη κυπριδοστή λαβόι.
Δαμονίας!

Ἄλλο.

Eἰθὲ φελεσ περόνην θεσαΐρηνι μᾶλλον οὐδὲντων
Αἰσχρὸν οὐ πως πετάσαι μήποτε ἔχοιτο ἕπος.
Τὸν περφυῖς!

Παρονομασία εἰς τὸν ὄνος εἶδη.

Ψυχὴν τοιούνος οὐος πέμπεις οὐοεῖδη,
Καὶ πρόστοισι, τόσα δύομι εἴην οὐος.
Θαυμάσως!

Idem Latinè.

Mentem acini atque asini fecit natura asininam,
Ius super ad cumulu nomen inest asinus.
Θαυμάσως!

Recitat Quæstor.

B. F.

L V D I S

APOLLINARIBVS

IANVARII

ANTE CALENDIO

SOCIETATI IESV

VICTRICI

O B

DEVICTAS CATTORVM

C A L V M N I A S

F A C T I O T R I P L E X

Laureata, Hederata, Myrteata,

R E C I T A B I T

S A T Y R A S S C A Z O N T E S O D A S.

Ergo, subiecit Imp., in puluimum confundite;
Præmium cōmissionis à Fama accepturi. Con-
fusit Laureatorum primus Christopherus Col-
bart, & stans in celsa fede, gemmatis lucēs anulis,

— *Pexūisque togāque recenti,*

*Difficile est, ait, satyram non scribere: nam quis inique
Tam patiens Leyde, tam ferreus, ut teneat se?*

Igitur meis Lucilijs exordium esto.

S A T Y-

S A T Y R A

I N

TRISCVRRIA BATAVORVM.

Heus ! heus ! Coryciæ gentis versuta propago !
Quæcis longè exstantis , patulæq; est gratia naris !
Heus . qui Lyncum oculis ab Eoi littore Ponti ,
Quidquid in occiduo geritur Phœbi orbe , videtis ,
Quæcis cognata Midæ ars , & mensura auriculæ stat ,
Ut nec cum scrobe , nec clam , fas mutire , sagacis
Quod non ruspetur bene odora potentia nasi .
Heus prodite lati quocumque ex fornice lippi ,
Tonsorumq; noui cupida agmina , protinus adsint !
Quid style grande paras ? que bilbilita amphora buccas ?
Quis stloppus rumpet pomposo anigmate fauces ?
Dicam ; audi , citò surge , tace , mirare : sed heus ! heus !
Prompta forum petat è laribus plebecula , pasim
Et pueri & famuli , vetula iuuenesq; senesq;
Loripedes , manci , trahitur quibus altera ligno
Tibia ; conuolitent lusci , rauci , atque truones ,
Quiq; supercilium vitreis specularibus armant ;
Indocti , doctij , & sutores & aliptæ ;
Qui foricas purgant , quibus est fuligo camini
Spes lucri , & cui vita hinc pauper fernulus , & queis
Lecta pavimento faciunt analæcta minutal .
An turbam hanc video ? bene habet : properate theatrū

Aut

Aut cathedram, aut magni Ciceronis pulpita, sellam
 Ponite sublimem. vegrandia fulmina magni
 Sunt dicenda libri, calamo ructata Batauo.
 Vos ergo Orchestræ Proceres, vos maxima tanti
 Lumen confessus, podij vos docta corona,
 Planipedum soliti plebeios spernere ludos
 Panniculi, Thymeléſve iocos, alapafj Latini.
 Digna Cleantheis fecisse silentia rostris,
 Clamosam vulgi saniem ad mea verba iubete.
 Credite, de caelo nouus est delapsus Apollo.
 Sed inuenet hic vestros, Superi, petijſſe labores;
 Te citharægj, lyraej, auctor, domitor gferarum,
 Thrax Orpheu! te qui plectro inga flectis eburno
 Phœbe Heliconiadum! vosq; ô! quibus alta loquendi
 Nec repens humili, curæ est, facundia focco.
 Lubrica per liquidum diffundite plasmata guttur,
 Et defaciat modulamina singite linguae,
 Quæ nunc taurino sciat immugire boatu,
 Si qua ruant verborum ingenti pondera mole:
 Nunc sciat & gracili mellita rotare palato,
 Si quæ feminine sint supplantanda loquelis.

Nunc audite de libelluli vestibulo & veste senten-
 tiam meam. O Martialis! ô Iuuenalis! titulum talem,
 membranam talem, talis parti talem cucullum, Affa-
 nias Apinas tales numquam vidistis, risistis.

Quid dignum tanto feret hic promissor hiatu?
 O V I C T I ! O V I C T I ! Leydonicos post lata
 S C R I B A N I I vulnera Sardonice cachinnâtes,
 cantantes ————— Naso suspendit adunco.

SATYRA II.

Codex absconditæ mythologijæ.

Quod bene sit! tandem incipio nova pluia stra nouorum,
 Hem noua præcipiti à Cattis venientia penna.
 Ecce Sophoclei compago codicis ingens,
 Vastum opus, hexaphoro dignum portavier, aut, quem
 Natio Belgarum dedit ingeniosa, Couino.
 Ad inga si seros nervosò corpore tauros
 Iunxeris, atque uno toridem temone caballos,
 Spirabunt laeti, sistentq; à pendere libri.
 Quid? ternis constat villis frustisq; papyri.
 O magnum! exigui procul hinc, precul Anticatones.
 En bellam faciem; pulchra est compactus aluta,
 Iures Pandore salisse è pyxide librum,
 Iures Leydana pictum predire taberna.
 Grandius ergo aliquid, mihi credite, continet intus:
 Non solet auratis in vestibus è triuio quis
 Aut scurra aut fullo per compita pandere caudam;
 Non solet argento fax clandi aut vappa rubelli,
 Non solet invisum crustis scaphum esse toremna.
 Quod bene Di vertant! leto quod sit Ioue faustum!
 Quodq; velis, Pallas, nostrum tutela, precamur:
 Sit fas arcane sacra a volumina chartæ
 Pura aperire manu. sit fas secreta Batauo
 Pagina quid referat meditarier illita succo.
 En Proceres, primæ quam vasta superbia frontis,
 Quanta characterum pictorum pompa! quis ordo?
 Tigna, trabes video, crassas nigrasq; columnas.

Littera sic Cattis geminante ab arundine currit?
 Credo solent magnis tantum hanc præfigere rebus.
 Quid spondet? quantum vento si murmuris? aut quid
 Promittit? quantas parat. & quas vendere merces?
 Passeris exequias an fors dabit? an truculentos
 Lucani campos quales Pharsalia vidi?
 Arma virumque canet? Nemesis dicet ve Tibulli?
 Quid lego? consueto redeunt spectacula focco,
 Antiquum redit exodium, nugæ Attellæ.
 Hesternam en Proceres crambæ, distendite rictus:
 Loiolæ Soboles Cattorum scinditur vngue.

Tum repente Reynerus Michaelis, in uclâs in pulu-
 num: Quos ego! ait. Sed Terræfilios, tametsi sine no-
 mine (non quia famam spernunt, sed quia viætos se-
 esse confiteri, aut tot fæculenta carmina velut nau-
 seabundi stomachi frusta vomuisse pudet) latere de-
 siderant, etenebris gurgustijs obuoluto capite ex-
 tractos orbi terrarum illuitres Leydanijs faciet

S A T Y R A I I I .

Magni Achilleos Papas.

Quis pater est operis? tulit has quis corbulo moles?
 Ventorum vomuit quis tantas Æolus offas?
 Burdius? an pleno qui ruat gutture pultes
 Schlaffius? an fors Baudæus? nemo, hercule nemo.
 Diutni auctoris suppressit pagina nomen.
 O scelus! o grauis hæc prælorum iniuria! magnus

Vel generosi animus Scriptoris, qui voluit sic.
 Sed lubet ad medias libri penetrare medullas,
 Atque ex dente virum, vel nosse ex ungue leonem.
 Tanta vaporat & mihi latus & vafritia auris,
 Ut possim ad minimos crepitantis arundinis ictus
 Dicere qua laxet porta pater Eolus antrum.
 Possum & Leydane mensuram dicere buccæ:
 Quantum ex non propria faretur Burdius arca,
 Latius in sacro quam codice cernat acutum,
 Ut Rhythmos vomat obsceno Ruytgersius ore,
 Quantum adipis pleno exsugas Harpyia Tivullo
 Salmisi; aut quantum rapias, Baudæ, Maroni.
 Hercule quam digitores est mihi tacta secundo!
 Edipodionij sum enigmatis hercule vates!
 Agnoscovomitum, Cattorum agnoscimus ollam.
 Balbutire tuum Lati, tremulumque senili
 Burdonis cum dente labrum; titubantia noui hæc
 Verba senex, summis semper quæ impacta labellis
 Naufragio pereunt, penduntque infracta tributum.
 Et tuus hic latitat curuis anfractibus unguis,
 Arcadico multum referens de Stemmate Baudi.
 Nonne tuum pecus hoc? nonne hæc tua, Tityre, pera?
 Ecquid ais? norim hic si quid de carmine nostro
 Impressum chartæ videam. De gente Loolæ?
 Ha he! quæ noua sunt? Egone hæc heus, nescio; crede.
 Mentiris bifida nebulo dignissime furca.
 Non ego te noui? tuus hic non liuidulus dens?
 Singere, Baudæ, crepa; sed eris mihi magnus Apollo.

Illi, illi, subiecit Adrianus Rigauts; illi ipsissimi sunt. Asinos auribus teneo. Habeant Threias notas illa abdomini sacra pecora; Illi sunt, qui, cum ijs cerebrum natet in lacte, natet in vino, non aliud despumant quam saliuam & sputum, quo arundinem intingant, & papyrum inspergant, versibus columbus, inficitis, male olentibus. Hoc cantat

SATYRA IV.

Magna stultiloquentiae fulmina.

Avidite ergo stylum. Spumam Demosthenis, aut quo Tullius inuehitur, fastum, rabidumque tumultum, Dum ruit in Catilinam, & laxo dente ferocit.

Sed quid? prima ferit mihi barbara pagina frontem
Quod chaos? hic nulla saliunt dictoria lege.

Scommata mista iocis, risus, mendacia, morsus,
Et metamorphoses, fescenninique figurae.

An pede conclusi, numerorumque ordine, versus?

Deficit hunc Spondeus, Dactylus, atque Anapæstus;
Hic nullus triplici auditur gravitate Molossus.

Hic nimium volucris properat levitate: sed ille
Plumbeus incedit luxatus brachia Rhythmus.

Hic salit, hic repit: mancus femore ille sinistro.

Heus Leyda pueri, quoniam has pede metior odas?

Non haec in strepitu armorum sunt verba Maronis:

Non sic Pindarica lusit testudine Flaccus:

Hos numquam ludos Naso dedit inter amores.

Quodnam erit ergo malum? Tulli vel forte Maronis

Verba aliquot, ranca Batauum stribligine cocta.

Nec tantum: Cicero hic, nullus, nullus Maro turget.
 Hæc nobis unde est, Superi, sartago loquendi!
 Quam nec pannosa Danaï coxere culina,
 Neve ad fumantes Latij struxere lucernas.
 Sed fruſtra exilamo, male putida ſcripta ſtupefcoſ:
 Hæc bene quam manca ſcrivuntur voce Lazaritum;
 Hæc bene, quæ docto fastidia tetrica Tullo,
 Quæq; mouent ſtomachum, ſi ſint modo dicta Latinæ.
 Enveniant longis molimina turzida eandis
 Verborum ingentes turme, verrentia fauces
 Syrmita, quæ pleno fudit de gutture Teuto,
 Quæ bene dilutæ vomuit Germanus ad offas.
 Flandrorum riſus, ſalsa enthyminata Galli;
 Vnde tuos inter ſubrepſit tanta nepotes,
 Romule, linzuarum peſlis? quod dedecus hoc eſt?
 Quid nunc clamares Tulli, ſi hæc monſtra videres?
 Quid Maro? quo vultu hæc tam rācida Flacce ſtuperes?
 Scilicet obſtructis dicatis naribus: Ohe!
 Felices proauorum atavi! felicia priscis
 Sæcula lapsa viris, tantoque intacta pudore!

Simul Adrianus tacuit, abiit; ſimul Cornelius De Hertoge surrexit, exclamauit: Actum eſt, Conclamatum eſt; nec vnicia mētis aut opis in toto Leydenſi Mineruio, quam exferant in Bonarscium; decoixerunt, proteruiam fecerūt; Parœmia fiat: Calamitas ſine auxiliis, Leydenses in ſpoliario Clariano. Nec obolum habēt vnde clauū & restim emant, nec verum quem tumulo ſuo inſcribant. Contulistiſ Burdoſophi-

Sophistæ capita, sed vacua ; nunc

Anticæ occurrite scænae,
quam in vos ab oraculo plusquam Delphico

S A T Y R A V.

Origo iuuenantis styli.

Sed libet infandæ caußas lustrisse ruinae.

Quis Scytha? quisve Arabū profugus tellure Batava?

Intulit hoc virus? quâve hoc furiale cauerna

Profligt tabo serpens per rostra venenum?

Nulla huic cum Cattis feruent commercia genti;

Vnde hac ergo lues? mihi sis rogo Iuppiter augur!

Te sine suffusa nam mens hic nube vacillat.

Audite arcano Cum & quid verius antro:

Si fallo; infaustum tum me mala fulmina perdant.

» Exhausta est miseri caua Bibliotheca Batuui,

» Exhaustum est Catti spuma risusque cerebrum.

» Nulla latet vacuo verborum copia cornu;

» Paupertate tamen vivendum est ambitiosa.

O miseris casus! ô lamentabile fatum!

Per framcam iures Martis licet , atque Minervæ,

Non credam: mecum nam rem bene discute totam:

Tantorum Herorum qui tanta potentia cum tot

Palladijs opibus possit periisse ruina?

Credite P'sebæ me ferre oracula vatis:

» Pauperior Codro Catti nil continent arca.

Qui poter? Iam dicam: Baudæus in ære taberna-

Totus erat; (noſti quam pocula ſepe ſalutet)

Caupo tulit lectos, sedes, mensasque, abacosque,
 Et chlamydem, & vestes, ollas, ignemque focumque;
 Nil Baudeus habet, secum tulit omnia Caupo.
 Nec sat erat. Quid ages Baudi? venderis & ipse?
 Accipe Caupo libros, vetulas has fert o papyros;
 Museum atque oleum, laternam & lampada sume:
 Sit modo liber adhuc Baudeus obire popinas.
 Schlaffius & laue sensit sortis genuinum,
 Dum per contextos speculatur sidera clathros.
 N.mi quid agat? dura hic in compede tibia languet,
 Lascivis solita ad modulos feruere choreis.
 Mitte precor, me mitte, ait, ô bone creditor! & quos
 Debo persoluam, numnum certa fide aceruos.
 Nil superat rerum fædissime lurco tuarum.
 Vnde dabis, cum vix habeas pro Dite Trientem?
 Recula librorum vetula est exilis in arca.
 Vende, rape, & miserere mei, dulcissime rerum.
 Liber it excussa iam compede Schlaffius; & cum
 Nec lacera fracti diues sit pelle libelli,
 Innocuum vomitus lutulat fætore Lootam.
 Ut bene perpetua dignus scelerate Serypho es!
 Dignus & ad Gyaræ qui detrudare catastas.
 Sed mihi dura fides, nullo suadenda Mathone,
 Causidici nullo ventosi folle probanda.
 Credam Salmusi solitis caua scrinia libris?
 Vnde suas vacuasse queat Ruytgersius arcas?
 Quodque magis miror: totas sacra Biblia noctes
 Distento rodit scrutator Latius ore;

Et credam hoc magnum casu cecidisse Sophistam?
 Crede tamen. Non possum. Iuro. Nec Hercule credam.
 O te per duras genitum, Acroceraunia, rupes!
 Audi; clamorem si horres, iam dixero in aurem.
 Schlafftus horribiles ruftauit ab ore solæcos,
 Atque cacatorum verborum scripsit oletum.
 Laudarunt Procerem, plausuque dedere cachinnia
 Latius & socij; fœdataque pulpit a Schlaffi
 Mirifici manco decorarunt carmine vates.
 Sed postquam Aduaticæ senserunt lora palestræ,
 Iactaque læsuris mordacia verbera sulcis:
 Abstinuere manus, & prostituere libellos.
 At que Burdoni fortuna illusserit? est hic
 Panaretus, prudens, essentia quinta Catonis;
 Frigidus atque ipsis canis venerandus & aeo.
 Hinc stirps, crede, mali: nam Bibliotheca vigeret,
 Ni vetulus foret, & iam exosse edentulus ore.
 Vendidit, & merito, Cicerones atque Marones,
 Nasones Flaccosque, atque immanes Calepinos:
 Nil namque infusum retinent pertusa cerebri
 Scriniola. atque oculos iam sepe scotoma volutat,
 Cum geminata salit per totam littera chartam;
 Cum gemini surgunt calami, pluteique, librique,
 Ambulat & toto duplicata lucerna cubili.
 Burdoni redijt primo puerilis ab aeo
 Simplicitas, magnarum & rerum ignara iuuentus,
 Antiquus pædor, madidique infantia nasi.
 Si bullam adiicias, totus fit Scaliger infans.

Ex his, simetricam numeris duces rationem,
 Summarum summa est: » Cava bibliotheca Batavum,
 » Exhaustum est Catti spuma risusque cerebrum.
 » Nulli latet vacuo verborum copia cornu.
 Omiseros casus! ô lamentabile fatum!
 Ergo suas, Proceres, iam quisque reuertat in aedes;
 Si nib Cattus habet, dicendum est & mihi nil, nil.

Hactenus Sycophantas satyrico sale defricuerunt
 ὄμοιστρεπτοι, ὄμοιοφωνοι, ὄμοιστροι. nec opus fuit lacernis, spor-
 tulis, cœnis acclamations emere; nec Mesochorum
 statuere, nec

— *Dare libertos extrema in parte sedentes
 Ordinis, & magnas comitum disponere voces.*

usque adeò magnus & subitus, ex omnibus simul vn-
 dique subsellijs, ex anabathris, ex orchestra iuit in
 calum clamor.

Væ victis! Væ victis!

NEque vñquam Achaiæ libertas tot fuit excepta
 vociferationibus, quot Societatis I E S V victoria,
 Corui Leydenses si adfuerint, concidisse vidisses.

Longum fuit hoc intermetium; donec Impera-
 tor primus manu silentium faciens: Aduertite ani-
 mum, inquit, ad Scazoniticam decurcionem; si quid
 Cedro, Capsa, & Imagine dignum videbitur.

Tum Primus Myrteatorum; Fingo me, ait, vnum
 Sociorū I E S V; fingo me peti quinq; calumniis, toties
 recantatis, toties recoctis, toties recusis; nempe: Socij
 I E S V, sunt faces bellorum, fibulati, ~~παιδιζασαι~~, Crœlo-
 ditiores, Captatores, Caluine tuam fidem! sus lota!

Canis ad vomitum.

Dic noni quipiam.

Dic, vel numquam dicas.

Quis ista Battus, quis ferat Chalybs probra;
 Quare ista, trutias incolens Dryas quercus,
 Qualia matella conscientia vomit nuper
 Non Latius ille, at Barbarus, Latig, ulcus
 Fædumq, carcinoma dum putres lumbos
 Scalpens columbulum entheat suum Cypris?
 Columbule o diserte! quem gradu pellat
 Vincat que cuculus, Leida num satis bardos
 Nondum poetas extulit, nisi pessum-
 dederit Mephiti pestilentior cunctas
 Musas Auernus? Tanta si fibras urit
 Tentigo; si te urtica mordet insana;
 Si prurit vicerosa vena; fas esto
 Chartæ cacatæ illincere quod sapit, quali
 Ad nauseam animus ebrius tuus succo est,
 Illo sodales vincitius tui viuent;
 Queis lacinata farina, queis mali mores
 Cuncta expatrarunt. Ecquid ingeris nobis
 Cramben recoclam? Nulla non frermit pila
 Clamore eodem; nota nec alia est thuri
 Scombrisque vestis. Quid relambis hunc semper
 Vomitum catelle? idemque idemque iam centum
 Vicibus liguris? Ferre si nequit sumptum
 Annona litteraria, ut nouum enibamma
 Condire possis, perge nos faciem bellum,

» Nos ventilasse Galliae ad rogum tudas
 » Dic funeratæ: nos Erinnyes clama
 » Europa & orbis: quodque ferrea voce
 Et corde iactas plumbeo proba crimen:
 Rotasque mille, mille nil vetat mortes
 Cunctos subire. Quid ferox Lacon frustra
 Hirrire pergis? » Integræ negas nobis
 » Constatæ mendax fibulam. Diem dicas,
 Fractimque sollers arguas; ut incestos
 Ultrix stuprorum flamma concrèmet mæchos.
 Istudne vendis pessimæ notæ villum,
 Merámque vappam, imaginem ut tuam lambat
 Viuacis hederæ ramus? O caput dignum
 Mordace cingi carduo! Quid occetas
 O indolatis unguis lyram pulsans
 Vecors aselle? hiulca quid vibrant labra?
 Effare. » Cassa non nuce aestimas, quotquot
 » Nostro scholarum in contubernio degunt;
 » Effeminato ut Palladis gynæccio.
 Emasculari, ut arbitror, tuum defles
 Eheu Priaphum: & moris improbi librum
 Vis pellicatu viuere & stupro infamem
 Dic hec vel illa; & adstrue his fidem dictis.
 » Dic plena nobis scrinia & domos plenis
 » Auro, coactam digeri nec immensum
 » Gazam potis; gazamque, quam refers, profer.
 » Dic codicillis incubare signandis
 » Et constuprandis, quos Charon videt limis

»Avarus oculis. Dic, sed integra fronte,
 Queque odiosum iure non timet καπνα.
 Nec hac, nec illa, nec aliud probas crimen;
 Sed sola trullam olenia euomis verba.
 An ebriosum te nepotulum Bacchi,
 Et impudicum, & aleonem, & insanum,
 Qui patrimonia vñcta deuorare unus
 Posis, Batuos credere haud putas scurras,
 Meretricio nisi scripta lotio metra
 Male feriatus histrio palam cantes?
 Hos nempe fontes Pegasus sacer Leida,
 Auritus ille Pegasus parit vester.
 Ohe improborum quisquis alpha lurconum,
 Desterte tandem crapulam, & file tandem:
 Aut, si silere non potes, aliud dicas.
 Mansa & remansa hac usque & usque sunt probra.
 Foricasque spectant, naribus creant tabem.

POst Iacobus Des Enfans, vbi se cōspicuum dedit,
 sic est elocutus: Qui Augures, qui Aruspices ad-
 estis, de procurando portento cogitate, dum ego
 recito.

I N

IN
PRODIGIVM POETICVM,
quod nuper natum Leydæ.

Spectatum admissi risum teneatis amici.

Magnum poëtam Leida, maximum vatam,
Ex arboreto myrteo extulit nuper;
Voi Diones inter somnians vlnas,
Musis pudicis soluit impudens zonam.
M ignum poëtam! quodlibet cui fas est
Monstrum creare, quodlibet cui mens est.
Harpyia, Cyclops, Scylla tot canes circum
Succincta pubem, cœruli gregis Pastor,
Et qui sonora exasperat fretum concha,
Et cuius aér, cuius æthra torpescit
Statu facta partu, quodlibet nouo vati est
Vulgare, tritum. Cornibus sues pugnant,
Et dente tauri: iam astra nauigant cete,
Thetidosque passer nidulatur in sponda:
Styx atra cælo, lacteus fluit riuus
Medio in Averno. Creditis? Nefas grande
Non credidisse, & expianda millenis
Est culpa probris. Et, quod omnibus maius,
Cæli Birabbam Ditis incolam ESVM
Et Iesuitam demonem, & Deum Caluum,
Caluum Gomorrha quem si o afferit ciuem;
Spurcos Bonarsci, Battavi integros mores,
Aliosque coruos credere, & cygnos nigros

Iabet

Iubet Poëta, non stolidus, at insanus.

O monstra! adiecit Iacobus Torres. Immo puer, nudus, vagiens, lallare recusans, qui vix ab infami obstetricis digito posuit umbilicatum, vult oppedendo Hoplomachum Eonarscium εφάρω ταντικῶν τούγχανσε spectatum jatis & donatum iam rude in arenam extrahere. Mammæ, mammæ irascatur;

NOVVS PALÆMON.

Ecquis Palamon impio procax fastu
Suem suatim agnominare Varronem
Artis, scientiaeq; numen augustum
Non erubescit? Nempe quod supra anguillas
Sole amque surgat masculo stylo accinctus
Teneri stupescunt pupuli: quibus serpit
Crepundia inter dielio; quibus sermo
Non dum exuisse fascias suas iactet,
Et adhuc oleo infantium enecat nares
Non inficitas. Si quid est minus promptum,
Minusque tritum verbum Calepino;
(Illo , puelli quem unicum penum Suad.e ,
Et eloquentiae unicum horreum credunt)
Subito rent det γραμμάτων sacer mystes ,
Et expianda aruspicum intonat scitis
Portenta vocum. Immane sic puer laruas
Lemurēsque trepidat , si quid obuiet forsan

Inusi-

Inusitata quod ferit oculos forma.

*A gedum, Bataue, sit aliquid supra cunus:
Sit quo vaporent feruide virorum aures:
Prætexta vel te & bulla denotet talem,
Qualem senatu submovent sacra leges.*

HAnc trigam damus, dicamus tribus Gratiiis, quas Leydensibus libelluli acharistici compilatoribus videmus fuisse infestas. Vos, si grati fuimus, clare & gratis plausum date.

Ilico voces sine numero sonuerint: Euge, bene, belle, præclarè: viuant basianda carmina; coronam Poëtis, statuā Poëtis. Interea graphicē sine focalibus, sine splenijs, sine amphotidibus itabat Lyricæ factio-
nis Dominus V Vinâdus Borlot cum suis, ad recitan-
dum paratus, & signū ab Imperatore exspectabat;
cūm in hæc verba est interlocutus Imperator: Sic, sic
discat Leydenses Pumiliones, post vnam virgidemiā
non omnes Rhetorię virgas esse cōsumptas. Sic, qui
se viuere arbitrātur post Amphitheatrales exequias,
non cadent magna Bonarscij manu, sed imbelli, sed
iuenili, sed nostra. Næ! felices illi, quod nouis Rhe-
toribus sunt adhuc teneri vnguiculi; non cornua in
fronte, non in gingua dentes omnes enati. Si nos
lacessere audeant sub Augustum, tunc firmato ge-
nuino mordebimus, tunc lunatis cornibus Leyden-
ses pueros velut pilam ventilabimus.

Abrupit sermonem entusiasmo plenus; &, AGO-
NE, RECITONE Imperator? subiecit Lyricus. Age, in-
quit Imperator; recita. Tum pro Lyricorum factione
ita præfatus est:

Lyram

Lyram iocosam, choreis aptam, Deorum Heroumque conuiuijs & delicijs asfluetam , quod Imperatori visum est, ita pulsauiimus Myrteati, vt Societatis IESV Heroës nequidquā Leydenibus cinædicæ calumnijs adspersos detergeremus , & meritis ornaremus laudibus . Sic præludo.

C A L V I N I S T Æ
A D S P E R G V N T
S V A M C A M A R I N A M
S O C I E T A T I E S V.
O D E I.

*Infandi amores ! crimina Capreis
Audit a nullis ! ô pudor ! ô probrum !
Triumuiris à fibulatis
Hippolytus Catamitus audit .
Quod quisque fecit dicere gestiens
(O impudenti fronte Calumniam !)
Euerrit obscenas i E S V
In Socios Veneris cloacas .
O lingua succis tincta Acheronticis !
Auersi amoris sic peragent reos ,
Sporique , Nacæque , & Cicerræ
Fabricios , Curios , Catones !
O lingua fœdis deliciis madens !
Pudenda semper ! seu libeat loqui ,
Seu vis tacere , seu resorbes*

Oppro-

Opprobrij vomitum prioris.
 O lingua probris ebria! Cur tui
 Conchata Bezae deuia basia
 Ignatij affigens alumnis
 Nube paras macularc solem?
 Cantata cantas; nec sine gloria
 Proles patrissat. De Sodome rogo;
 Ambuste, torris, ulmeato
 Vulnera sunt in honora dorso;
 Flores padoris, Lilia Lilia
 Crustasij, flamma cerno Gomorrhica,
 Caluine subuerbuste, in omni
 Inueniens puero puellam;
 Tuum & tuorum est mollia fortiter
 Contra columbos & facere & pati;
 Tuumque caca nocte stuprum
 Ancipi tenebrare cesto.
 Vidi docentes Mattiacos fues
 Lusum Priapi (credite posteri)
 Salace Sileni pudendas
 Ad citharas praeunte Asetto:
 Vidi canentes murmure confono
 Glabros, subantes & Salisubulos;
 Patis ocellis, voce fracta,
 Semiuiros Cybeles ministros.
 Hinc grex Batauus carmine publicas
 Incestat aures. Scilicet est satis
 Virtus Vlyssi nota Graijs;

At Phrygiae nimis ô! fauilla
 Ut poma vulpes deuorat, ut faciem
 Extinxuit amnis, ut stipulas leues
 Assumit Etna, sic abibunt
 Intenues maledicti ventos.

Hoc habent ! illi Vitellij Caluiniani semper sor-
 des cloacinas vorant , semper vomunt . Ut fons
 est ita riuus; vt amor, ita stylus : cista quod habet ,
 reddit. Quid exspectas à stomacho stupris indige-
 stis turgido? Alia, alia est Societas IESV, à qua nun-
 quam verbum prodiit , in quo Daphne erubescat.
 Hanc purgatum eo Venilina spongia . Ordior,
 & turpem nœcum in pulchra facie sic abluo: Egre-
 dere e suburra , ô grec Ganeonum ; & vide , non
 tua Bonæ Deæ mysteria, sed Societatis IESV castra
 adyta; vbi

T O T I L L V S T R E S S A N G V I N E
 IN I E S V S O C I E T A T E M A D S C R I P T I
 N O N A R D E N T T V R P I
 A M O R E .

O D E I I .

N on sic IESV clara Sodalitas;
 Non his Iuuentus vstic caloribus
 Fumosa auorum signa spreuit,
 Et thalamum genialis aule;
 Quamuis superba dote procantibus
 Socer puellum duceret obsidem,
 Ut nuptiali copularet.

Fædere perpetuos amores ;
Nefas pueræ grata proteruitas ,
Nefas pueræ dicitur osculum ,
Et lubricos tellure fixo
Lumine prætereunt ocellos :
Tot ergo prisco sanguine nobiles
Vnctis capillis ad cyathos Patrum
Patres rubescendis adurent
Ignibus ambiguoq; vultu?
Ergo hic libido Scaurica , masculus
Hic regnat ardor , hic grauidus Nero?
Sumenda vestis pulla , nempe
Purpurea est minus apta fraudi .
GONZAGA demes , quis tibi fascinat
Furor cerebrum ? qua tibi noctibus
Cantata nigris Thessalorum
Carmina surripiere mentem ?
Cur tu relictis fascibus & domo
Et purpurati stemmatis atrijs
Cerisq; maiorum pudenda
Dedecoras bene nata noxa? (inclyti
Heu ! KOSTKA Princeps , sanguinis
Heres , Coronæ gemma Polonica ,
Dic , quo sonante te flagello
Tisiphone quatit aut colubris ?
Vt seruitutem , ut vincula sentias
Turpis cinædi , nil opus est pijs
Castris IESV militare ,

Vste puer meliore flamma!
 Sat nota VIVAE limpida stirps AQUAE,
 Qui frena magni nunc tenet Ordinis,
 Quis nescit insedisse auorum
 Arragonum diadema fronti?
 Quæ fax medullis te coquit intimis
 Testare, spreto murice pulchrior
 BOVINE Princeps, nunc IESV
 Ingenua trabeate bulla.
 Virtute clarum, post atavos Dices,
 IUSTINIANVM Genua prodidit
 Censemq; ter magnis Etruscam
 A ducibus, MEDICAE, gentem.
 SPINELLE, ADORNES; magnifica domus
 GARZONE tradux, qui patrios lares
 Fastumq; pro CHRISTO resignas,
 Dic, age, qua caleas fauilla.
 Dic Genuensi, SPINOLA, ab hortulo &
 Claris, NIGRONI, sub penetralibus
 Educte, gemmescensq; longo
 Inclyte PALLAVICINE ramo.
 Dic, inuidendam, BORGIA, cui parit
 Calcata Laurum purpura; maximi
 PADILLA Adelantade regni;
 Tot q; atavis memorande GOVSMAN;
 MENDOZA multis edite Regibus,
 Tropæa quem non Maurica detinent
 Affixa maiorum superbis

*Postibus, in stimulum Nepotis.
O! qui Britanni littoris exsules
Regem propinquos sanguine tangitis!*

*Non HAYIUM beatit uilla
Delicijs peregrina Tellus.*

GORDONE, dulcem linquere patriam
*Non te Gomorrha compulerunt faces,
Si Scoticam spirare pulchrum est*

GORDON: O capiti Coronam.

*Sunt magna Belgis nomina, que suo
Inscriptis Albo Censor & Ordinis
Custos IESVS: nec supremum
Ante diem numerare fas est.*

Perge Collega Iacobe Thiaut, & præcinenti succine. Haec sunt partes meæ, inquit Thiautus: hoc canto tecum Romanæ fidicen lyræ.

TOT NOBILIBVS
SOCIETAS IESV
NON ESSET TVTVM
NEQVITIAE PERFGIVM.

ODE II.

Tot clara terris sidera in omnibus
Quæs Regū auitas mostrat imagines
Domesticis stirps longa carnis;
Quæs dominae fauor ille constans

Blan-

Blanditur aula, nec sceleri abnuit
 Impunitatem; dicite, qua rapit
 Megara transuerso? tot inter
 Quis Venerem inueniet labores?
 Non Bacchus illic, non colitur Ceres,
 Frigent & aræ Cypridos, at sauræ
 Semper Minervæ accerra sumat
 Per viduas vigilanda noctes.
 Non plena sacris pectora litteris
 Vrit nefando flamma cupidine;
 Sed ille BEZAM territ ignis
 CANDIDVLAE saturum puellæ.
 Lascina quando sceptra tenet manus
 Potentiorum tuta licentia,
 Exultat in præcips pudorem
 Voluere non renuncante pena.
 Non ulli legum verbera, non scelus
 Vincis repudi nobilitas timet:
 Si peccat, horrebit seueram
 Inslitiæ toga nigra virgam.
 Delicta vulgi pena premit comes;
 Censura transit Nobilium domos;
 Impunè griffatur per omnem
 Luxuriam Procerum Cupido.
 Bullatus auro baltens inguinis
 Occulta celat vulnera; nec metus
 Coercet aula crimen: ingens
 Principibus placuisse laus est;

D 3 Laus

*Laus est, pacifici furti libidinum
 Lenone nummo, dum pudor exsulat,
 Dum tuta, dum ritualis expers
 Fax Sodomæ dominatur ostro.
 Non credet orbis, tot Procerū gregem
 Nexum exscranda viuere copula:
 Tu scis, IESV, quo beati
 Vulnera, qua pereant sagitta.*

Addo miracula; non tua Luthere, nec Caluine tua;
 nimis, heu! orbi deplorata; sed quæ numquam satis
 laudanda.

MIRACULA
 SOCIETATIS IESV
 REFUTANT
 INFANDVM CRIMEN.

ODE IV.

*MIRACLA poscis? non tumidum quatit
 Pectus Sibyllæ Pythius incerti;
 Non mugiunt oracla Phœbi
 Centum adytis, foribusque cœtum.
 Non hic reperto tutus ab anulo
 Gyges cruentum celat adulterum;
 Non Iuppiter delusus armos
 Restituit Pelopi comezo:
 Non teclus imbræ Iuppiter aureo
 Sinum puellæ fallit amabilis:*

Adul-

Adulteri nec furtæ cœlat
 Bos, Satyrus, draco, flama, cygnus.
 Sed qualis olim pura libidinis
 Matrem Deorum cedere nesciam
 Traxit Sacerdos, zonulamque est
 Iussa sequi religata puppis;
 Aut lympha puros mergere distulit,
 Aut flamma castos horruit urere;
 Aut virginem testante castam
 Vnde stetit Tiberina crilro.
 Bene est; sonora per uolans tuba
 Cubile primi Solis & ultimi
 MIRACVLORVM FAMA sacras
 Auspicibus Socijs iESV
 ARAS SALVTIS dedicat: illicet
 Iubente Roma tu paries sacer
 Testare votiuistabellis,
 LOYSIVS panacea morbo est;
 Seu languor albo corpore turgidis
 Venis inundat: sine utero graueis
 Non liberat Lucina matres;
 Siue mari natat Adriano
 Qui puppe fracta pictam humeroferet
 Partam salutem LOYSII prece.
 I nunc, & illimes Sodales
 Sparge luto recutite verpa.
 Non fibulatis ROSTRA Polonicae
 Comedus aula luserat artibus,

Quando adstitit, sub panis umbra
 Aligerò Dominum ferente,
Amica ROSTRAE BARBARA, non Venus
 Quando beatis ignibus astuans
 Deum ferendo sudat impar,
 Ni gelidis moderetur undis
 Admetta cordi spongia; feruidis
In astra votis mens rapit ignea
 Sublime corpus pendulumque
 Virginea per inane pluma.
O me beatum! si liccat tuo
 Fixisse primum ter cineri oscula,
 Et indices sparsisse amoris
 Cum lacrymis violas in uru.
Fallor. Triumphat funere castitas,
Non illi nardi aut indiga balsami,
 Pudore pollinctore seruat
 Flammam oculis, roseum labellis
Seruat pudorem, nec capiti comas
Gemsg succos detrahit: INVIDA
 Cessere castis fata, replet
 Vere nouo Libitina bustum.
Et sic iacebas INDIAE inhospitis,
FRANCISCE, tesquis; scimus ut indolem &
 Mores nocendi obliterata quondam
 XAVERII venerata castum
Calx viua corpus. Non metuit rogam,
Yitam sepultis qui toties dedit;

*Manesque ab iniis iussit umbris
Attonito reuchi Charonte.*

*Non hoc filebit tibia, non tuba,
Non quis flupentes insolito sono,*

FRANCISCE, te iubente muta
Vimula dissoluere linguae.

Fimor triumphis. Da veniam meæ,

FRANCISCE, Musæ, si metuit tuas

Cantare laudes; INDARVM

Oceani maledicunt a fulcat.

Vbi estis Leydenses Sybaritæ, subiecit Balthasar Cordier, parati choreas ducere in omni campo, ad omnem eitharam? qui non aliam trivitis viam, quam à Suburra ad Balneum, à Balneis ad Triclinium, à Triclinio ad pudendum Siparium? qui non quæcumque sudastis, nisi à vino aut Venere calidi? Adspicite Heretors sub omni sole, in omni oceano grandibus decori sudoris guttis perfusos; &, si frontem habetis, perfstate.

S O C I I I E S V

B A R B A R I E M I N D I C A M P E R A G R A N D O

N O N C V P I D I N E M

S E D I E S V M S E Q V V N T V R.

O D E V.

Quid hoc? frementes quod videor procul
Audire diras? FLORIDA Americe
Vastata CALVINI pudendis
Ignibus horribilique flamma?
Vellens capillos, ungue notans genas,
Cruore mixtis humida lacrymis

CALVINE, te, CALVINE, turpis
Deuouet Inferias Gomorrha.

Itē, INDIARVM vīſte littora
 Mala ſolutis alite naubis;
 Portenta terrarum vebendo
 Oceanus Brasileus horret.
 Itē; auiarum monſtra libidinum &
 Calviniani maxima ſtigmatis
 Veftigia oſtendent apertum,
 Mafeulea veneris cubile.
 BARZÆ, non his vſtus amoribus
 Solem ferebas, & maria, & nubes;
 ZELANDE felix! ARMVS INÆ
 Grande decus columenq; terra.
 Non his Sodales ignibus aſtuant,
 Quando rubentem ſolibus INDIAM
 Tellure commutant paterna:
 Et populos per inhospitales,
 Quà ſol calenti ſurgit ab equare,
 Qua lora fefus proluit horridi
 Per arua CONGI; per nigrantis
 Rura MOGOR domibus negata;
 Per aſtuofa barbara PERVÆ
 Spelæa; per tot ſanguine perlitas
 Specus Giganteas, & iſpis
 Tefqua feris metuenda pergunſ:
 Pergunt decoro puluere ſordidi,
 Pergunt arenis currere torridis:
 Pergunt ad Indos Christianas
 Ferre aquilas, dominamq; Romam.
 Nil eſt I E S V triste Sodalibus,
 Nil eſt remotum; dum FIDEI lices
 Proferre fineis, & Tyrannos
 Subijcere Imperijs I E S V.

Laboro

Labore iungunt quas Deus abscidit
 Tritone terras dissociabili;
 Ignota lustrant regna Soli,
 Solis & antevolant ingales.
 Vterque Panus nunc spatum breve est,
 Remota non est Africa Gadibus;
 Laboribus nunc prima Thule,
 Herculea in foribus columna.
 Ardent & ardent monstra natantia
 Ridere, & Euros & mare turbidum,
 Syrteisq; ventorumq; bella,
 Fronite hilares, oculisq; siccis:
 Dum tu puellis infidias strues;
 Dum regna vini, dum pueri oscula,
 Zonamq; sortiere talis
 BEZA, tuos similis parenti;
 Dum dedicata limina CANDIDÆ
 Verres teresq; dum tuam molibus
 Non siccis, non suprema sparges
 Oscula, Sardanapale, labris.

Succedens Iacobus Bosselaer, & explicat volumen
 suum, finemque adspiciens; Longum æquor, inquit,
 emensi sumus, terram video, portum coronata pup-
 pe inuehor. Martyrum Societatis IESV palmas
 oppono illis Argiæ caluniæ quadruplicatoribus. Huc
 oculos, huc aures conferant, qui non alia ferunt vul-
 nera quam aduersa in pectore à dente & vngue pue-
 rorum, puellarum. A QUILII in iudicio vulnera, quæ
 vir fortissimus pro Repub. acceperat, detexit Antonius;
 ego Clarissimæ, Castissimæ Societatis IESV ma-
 gnas cicatrices ostendo orbi terrarum. Itc nunc, &
 nouas calumnias cudite.

MAR-

MARTYRII ARDOR
NON EST VAST
IN EFFEMINATO
PECTORE.

ODE VI.

ATQVI sciebant quæ sibi barbari
Reges pararent; Tantalicam foci
Crudelis ollam, bullientes
Fsmario pueros abeno.

Qualis nefandis taurica victimis
Diana vindos immolat hospites;
Aut impias Eusiris aras
Innocuo maculat cruento.

Erepta viuis exstata trementia
Torrent voranteque, dein tepido scyphos
Libant cruento, lacrymandum
Sunt homines homini sepulcrum.

SCINIS recurva mitior arbore;
Tauro Perillus; mitior hospitum
Semesa supra membra in antro
Antiphates recubans seruento.

Non tot gemendis pendula postibus
Fixere Thracis membra, nec Africe
Ariens horror, nec timendum
Bistonij stabulum Tyranni;

Quot una semper cade hominum rubet
IAV A inseptis ossibus horrida:
Nec sanguini sat P E R V A N O
Tergeminus lauat arua Nereus.

Illuc abena vincla ferens manu
Victrix, triumphans, funeribus parat
Crudelitas clauso strabaleis,

Saxa,

Saxa, cruces, liquidumque plumbum.
 Quin & superbo limuera naufragus
 Nudis arenas hospitium negat
 Non circa tellus, CHINA, claudens
 Sanguineo suu regna muro.
 Has BEZA terras visere pallidus
 Amat Gebennam: mollius oscitans
 Calvinus inter pomu regnat
 Alcinoi male basiati.
 Illos profundo vulnere ligneus
 Deterret ensis, saxa aquilonibus
 Pugnata nigris, & nacentes
 Corporibus BADA GVM sagittæ.
 Horrent procellas, & muliebriter
 Mortem pauescant, queis patet unicus
 Pericula inter mille portus
 Ille sinu pueri aut puellæ.
 At, quæ fluentem delicijs crucem
 Magnis IESV passibus emula
 Gens ambit, auctorata fusio
 A habitat ore, cruento, vita.

Hic fruui Recitationis Poëta reducens, Ne teneam vos,
 inquit, occidamque legendos DE SINAM SI VVLTIS.
 Hic vox fuit vna omnium, RECITA, RECITA. Inuitatus ergo
 à fauentia vestra, exceptit Poëta, addam selecta ex multis Illust.
 Societ. IESV Mart. capita; carptim & velut saltuatim percurram

EXEMPLA MARTYRVM SOCIETATIS IESV. ODE VII.

TESTis mearum Religio INDICA
 Sententiarum, qua tenoris recens

Sup-

*Surrexit herbis, & cruento
 Imbre P A T R V M madidata dixit :*
O! digni I E S V Casare milites,
Quae vita crux est, & pretium mori,
Magni sacramenta belli
Dant animos generosiores;
Quando INDIANIS sparsa non alibus
Cruore vestro pinguor est fides,
Tot inclytas cantare laudes
Nulla dies, lyra nulla pollet.
*N*am quis catenis linida brachia,
Aut speret imbræ dicere saxeos,
Tormenta mille, mille mortes,
Mille maris mala, mille terræ?
Quis CRIMINALEM criminis inscius,
Purumque vite, purpurei agminis
Hastate Princeps? Tu ferebas
Celsum animum capite imminutus.
Quis te loquetur, CORREA, Carigis
Hirsute telis? quis comitem SOSAM
Ab igne & a carbone & olla
Ad gladiosque sudesque raptum?
O! plena magni pectora sanguinis,
Duce AZEVEDO, ter triater decem.
Testare, FORTVNATA PALMA,
Pro tabula statuam MARIAE
Quanto AZEVEDVS corripit impetu,
Quantoque stringit: ne male naufragus,
Per sanguine undantes procellas.
Cedat aquis, animoque fidat.
Tribune felix, que cithara canent
Quam magna miles te duce gesserit,

*Vt riserit CALVINIANAS
Pectore marmoreo farissas.
ALPHONSE felix CASTRIE, Mauricium
Ponti necandum te dederat furor;*

*Sed tertia post luce vidi
Litoribus radiare corpus;
Tunc & cicatrix sanguine roscida
Partam cadendo dixit Adorem.*

*Quis SALSETANAS quinque narret,
Inlyte dux AQVAVIVA, palmas?
Fugam negando, dum generosius
Mori volebas, poplitibus minor,
Et corde nudato sagittam,
Et ingulo gladium receptas.*

*Necete MANIPLV S principe degener
Querit latebras; omnibus, omnibus
RVDOLFIANIS vota feruent
Sidera vulneribus pacisci.*

*Quis clara centum nomina censeat?
DIAZ, SEGVRAM, SILVERIAM, GOEZ!
Quot Indicam Heroes colendo
Barbariem posuere collum!*

*Lat, lubentes; sanguine sanguinem,
Vitaque vitam pendere gestiunt,
Pertela, per spinas, per uncos,
Per g, crucem Dominum sequuntur
Nec te in remota canto Britannica
Princeps tuorum, EDMUND E, sodalium,
Nec lora, nec cultros, nec ignes
Corque micans iecori reuulsus;
Quamuis stupescens attonitis aquis
Fugit relicto Tamesis aquore*

*Ad fontis ortum, dum beatis
Exequijs fluius parentat.*

*Mitto VENUSTOS, SALESIOS, NIGROS
Rubente fert; felicet omnibus
EVROPA laureata dicet
Carmina de meliore plectro,
Ionec theatro tot pugiles nouo
Surgant I E S V indice, laudibus
Lata oq; donandi, premantq;
Impositis pedibus Tyrannos.*

*Tunc, nunc trementes supplicijs lucent
CALVINIANI vincula, vulnera, &
CALVMNIA RVM toxicatis
Plus iaculis medicata verba.*

Vix tubianxerat Musarum sacerdos viutarum CECINIMVS, cùm bombi, imbrices, tellæ, onnia plausum genera collisis e. s. m. sub sellis toto Gymnasio insonuerunt. Mox Trium Fanctionam Poëtæ detractas sibi coronas deposuere ad Imperatoris pedes, similq; re rogarant, uti decernent. q; æ luctio viettix est; que vieti Victoribus, præter Coronam, præmia darent q; tas la ides pangeret. Anxius Imperator, diu sublitig; deinde magno S. P. Q. Rhetorici consensu pronuntiauit N. L. Ad ex remi, populo per Lectorem excedere iussi, sic ad Senatum, uti S. C. de libelluli auctoribus fieret, retaliat: Quandoquidem in Legibus XII Tab. Maiores nostri, cùm perpaucas res capite sanxissent, hanc contra famosos libellos sauciēdam putauerant;

*Si quis carmen occinisset, astitisset, condidisset,
quod alteri flagitium facit, capital esto:
videaturne vobis, P. C., maxima mala Crux litteraria toties
sub furca flagellatis Leydanicis, si se post hac commoueant,
S. C. decernenda.*

*Data est per Satyram sententia vna omnium, VIDETI.
Igitur P. C. ait Imperator: NIL VOS MDRAM VRBIS
VOBIS VIDETUR, DISSEDEITE.*

Dictum, discessumque est,

E P I C I T H A
R I S M A.

EPI C I T H A R I S M A.



Imisso conuentu Apollineo Imperatores Rheticæ per Xystum inambulabant, de Tropæo CATTIS CAVVMNIATORIBVS DEVICTis erigendo, deque Recitatoribus debito honorario donandis capita conferebant. Sparitus erat S. P. Q. Rheticus toto compluvio; nec alius in circulis sermo increbescet, quam qua quicquæ formula digna imprecaretur betis, fungis, algis illis Battanicis. Prius verò quam le per magnum bipalentium valuarum vomitorium effundarent, cum hora iam in procinctu nona ad frangendum toros inuitarentur; ecce tibi ab extrema area strepitū lictoris turbam iubmouentis, & Prætorem, Aedilem ac Præfectum Celerum teatè ad Xystum deducentis. Hic cum ab Imp. I. potestas nutu facta esset alloquendi; & ambos illi solenni ritu venerati essent, Vnus pro tribus Prætor exordiens: Muneris quidem nostri, ait, esse ducebamus, Augusti Cæsares, Ego, edicto VNDE VI, & iniuria Cattorum depulla videtur Societas IESV, eò indemnem restituere; Aedilis, iniquas illas Cerebellorum Leydensium calumniatorias heminas confringere; Præfectus Celerum, nocturnos illos grassatores, illos sarcorum parietum perfossores, sepultorum conuictorum effossores, qui nunquam, nisi in tenebris, audentes sunt, compescere: verū quia carminibus solis ut ageretur decreuistis, ne nos,

qui Reip. administrandæ causa in hoc frequen-
tissimo conuentu infrequentes fuimus, nullam
aduersus Leydenenses symbolam contulisse videa-
mūr, hosce libellulos proxima recitatione eu-
luendos F A M A E I E S V I T I C A E consecramus.
Simul offerens libellum suum Imp. i. adiunxit
Quod Deus bene vertat; Hoc ago, vt Ignauia
supina, portentosa Iactantia, insulta *Tavb. Loyia*
hostium Iesuiticorum palam sit; qui, cùm vieti
sint, tanie **T R I V M P H A L E S O D A S** canunt,
nec aliud telum intorquent, quām tot iam Apo-
logijs retusum, nec alio se clypeo muniunt, quā
exclamando illud Caluinianis sacrum, **M E N-**
T I R I S. Benè habet, ait Imp. i. Iam iāque audiri
Iubentia est; nec fessi sumus, si toto die in scena
Catti, sicut in arena gladiatores, iugulantur.

Auditur toto saepe Poëta die.

Auditur, si cantat domum Martis, antrum Ae-
lium, pectines Solis; si

Lucus & ara Diana,
Et properantis aquæ per amanos ambitus agros,
Aut flumen Rhenu, aut pluuius describitur arcus.
Mouet etiam nos, addidit alter Imp. Iulij Cæ-
faris exemplum, ne libellos in sinum abdamus
Recita igitur, Præco, tui Prætoris Poëma. Tum
absque mora Præco, ea voce & gestu,

ad merces turbam quo cogit emendas,
magnam circum se coronam conuocauit. ipse
stans in pulvinari Apollinis legit.

I O S E P H I P O R
 S I V E
 I A N V S G E M I N V S
 L A T I V S
 R V I T G E R S I V S.

Si versata dolo fortis missura palestræ
 Urna, dedit muto vires in verba palato,
 Insuetumq; loqui verbosū reddidit Agle
 Indignata premi virtus: si Persicus ensis
 In Crœsum disstrictus, Atym nona murmura iussit
 Infant properare latro; quem si ulta Batauim
 Ingenia, horridior rigido licet esse Catone
 Ambiat, & moestum Heraclitū vincere fletum,
 Non cogant patulo gelasinos prodere rictū,
 Et tristē effuso vultum turbare cachinno?
 Cum capita Anticyris non expurganda quaternis
 AMPHITHEATRALEM nuper quæ sanguine arenā
 Fædauere, fugāque agrè euasere Lanistam
 Pinnirapi ignavi iugulo deuota minantem
 Spicula, io cantent magna sic voce triumphum,
 Ceu Marathoniacæ exæquassent funera pugnæ,
 Et stragem Emathiam, clausuq; claudauere multo
 Victores refugo perfunderet agmine Rhenus.

Dicite io, Bataui, magnā pugnauimus' pugnam,
 Et monstrate palam testes, quæ vulnera necdum
 Clensa cicatrice, & nunquā claudenda, notarunt
 Stigmaticā frontem. Nam quis tā ferreus, ut non

*Victores credat, quos plaga, & vulnera campo
Expulso, clamant hostem sensisse propinquum?
Si rane exigua solitæ saltare Scripho,
Mutatq. Rhegini rodentes prata cicadæ,
Istud io andierint, nativa identia rumpent,
Ut cum clamosis stridant epinicia Cattis.*

*Sed fare, Aonij pincerna liquoris Apollo,
Quis tantos animos, quis tantum in prælia robur
Post crudas acies, post vulnera postq. BONARSCI
Tam male vitatum gladium LEIDENSIBVS addit
Pisandris? quis sic timidos animauit Epeos?
Ut, cùm pars fædo turpati caumate frontem,
Pars trunci auriculis, pars naribus, ille lacertis
Debilis, hic tergum fulcatus rabula VIRGIS;
Non timeant tenebrofa inter gurgustia clausi,
Cassa ex insidijs, moliri prælia: & inter
Ovatovalas socios latum Paana ciere?*

*Iste Leoninus Æquòs, nq; i tabōeios
Non personatū EVGANEVM, cl. peumq; manumq;
Bombylij, toties Dionysia scommata frustra
Torquentem agnoscis? non pelle Leonis asellos?
Qui modo, cœn Lupis audacis sibi conscius ausi,
Inter crura trahunt caudam tenebr. sg; pererrant?*

*Nam licet hinc inter nebulas se LATIVS offert,
Et spurco inde RVIT GARGITTIUS ore venenū,
Cerbereus Frater; redolent hæc pharmacotheccā
Hibrida BVRDO tuam. Nā qualis adultera CLAUDI
Messallina, Lupæ pellex, mentita LYCISCA,*

Infa-

*Infamis titulum , flauoq; adoperta galero,
Quidlibet audendi sibi nocte licentiam emebat:
Cum pudeat toties eadem ingeminare, Cuculle,
Endromide indutus IANORVM antiqua recantas:
Teq; docente eadem repetunt conuitia pulli.*

Deinde sine respiratione alteram iungens Satyram spatum applaudendi intercepit.

CITERIA BATAVICA

AN MENTIRIS, ais? scio sunt tibi scom-
mata tela:
Con MENTIRIS, clypeus : MENTIRIS,
ahenea cassis,
MENTIRIS, thorax, ocrea, atq; panoplia. Nam si
CLARVS IVLÆVM, gnato indignate, CVCVLLVM
Ventilet, atq; Patris REGALE anadema coronet;
MENTIRIS: Si CALVINI pingentia tergum
LILIA decerpit; MENTIRIS, Delrio, si quid,
Si quid Serrari, si quid Costere, Sibylla,
Verius, & tripodum superans oracula scribis;
MENTIRIS. Batavi tantum BVRDONE magistro
Ex adyto sapiunt. Bipedum nequissime, cuius
Plumbea rugosam vallavit lamina frontem,
Ne rubeat, Vis scire tuo quæ digna pudore
Fata precer? Tibi Clotho unum de stamine nostro
Attexat placat a annum, ne turgidus hydrops,

Qui magis è fastu quam humore intercute crescit,
 Ante Erebo dampnet depontanum, tua quam te
 Clavius, Arcadicæ doceat deliria mentis :
 Quæ ceu cæcorum discernas mare colores,
 Aut asinus radas Amphionis organa calce,
 Dum Ardelio Euclidis, stupidus mage Beccafeleno
 Scripta teris, misera haud metuis comittere charta.
 Quid facies? Non ille tuo counicia more
 De triuio obijciet: nec quæ tua scuta trecentis,
 MENTIRIS, consuta queant auertere. Ponet
 Cun clæ palam, & docto signabit puluere, quidquid
 Dum male metiris cælum, aut dum circulū ineptè
 Contrahis in quadrum, vitiæq; lemmata nectis,
 Aut dum Archimedem carpis, sus nempe Mineruā,
 Peccasti. Quid ages? si Cantaber Herculis instar
 Scripta tua, Augiæ grauius foentia equili
 PENICULO cuerrat? tum, qualia Patrocliane,
 Quantaq; vix unquam sudarunt balsama felle,
 Ingerat in fauces? Puto non tam panaceam
 Hydropi Harpocrates, Asclepiadesue pararent.

Si noui ingenium BVRDONIS, Cùn tot in vnū
 Viderit, & iusto consurgere Marte Camillos,
 Hei! vercor, ne pauca seni quæ tempora restant
 Longa nimis fiant: dextraq; imitante Catonem
 Se petat: aut letale bibat de pala aconitum:
 Aut, quod SCALIGERVM deceat magis, arcta
 Lycambæ

Ynicula, dum morte lentus nimis extrahit hydrops,

*In iugiat collo. Vos ô carissima Magni
 Pectora IULIA DÆ, parasiti, tollite, quidquid
 Mortalem vestrū faceret Iouē , & addite mæsto
 Palpantes animo voces, poppysmata, plausus:
 Ut vivat, dum, ceu arguta CITERIA , risum
 Moverit in pompa, stolidè celebrando triumphū,
 Quo miser, heu, manibus trahitur post erga
 reuinctis.*

Ex hinc ortæ sunt acclamations varix &
 longæ; quæ cùm exspirarent; Breuis ero , ait
 Aedilis , Res postulat . Depingendum curauit
 hoc Emblema , quod vos vbi adspexeritis &
 narium fores, ad hasce forias occluseritis, considerate,
 non centum anguibus pictis effici posse,
 ne Bataui lactucarum saturi in sacro Societatis
 IESV Collegio oletum faxint, neue lutum ster-
 core maceratum ipsi sanguine maceratissimi in
 caput proborum adspergant. Risum etiā Crassi
 reuolute, cùm Asinus carduos manderet , &
 existimate hīc quoque non ἀγελάσεις dicturum
 de Porcis VWestphalicis , Leydensibus, Simi-
 les habent labra Lactucas.

Iterum Præco recitauit.

SVES WESTPHALICÆ.

 *Vrgida Westphalicae quisquis sarcimina
scrophæ
Et pulpam, & pernas, pinguedine vermi-
culatas.*

*Delicias sequeris, nescis credo unde tomaclis
Atque Isthæuonicis petasonibus ista saporis
Gratia. Non solis adipescunt glandibus istic
Aut siliquas porci. Qui solas pabula glandes,
Et siliquas gustant, Batauis non gratior illis
Aruina aut pernae suisbus. Sunt altera porcis
Pabula Westphalicis, quæ nunquam Geryonai
Armentarius, Eumæusue, Scythæue subulci,
Aut qui Admete tuas radys exutus Apollo
Pauit ad Amphrysum vaccas, inuenit. Adeste
Arcadici proceres, quibus Augiae aula bouile.*

*Discite quid multa variet pinguedine scrophas,
Quas Busacteri alunt. Stant longo h[ab]c ordine porci,
Quos domino meliore placet nutrire diæta;
Qualiter aduersum Palamedea agmina sindunt
Aërem, & alta natant iuncti per flumina cerui.
Posterior rostro ad posticum hiat anterioris:
Cumq[ue] prior crud. m, infelix, præm. nderit off. m,
Fit coccus alterius, bis coctaq[ue] ferula fundit
Vicini in lintrem. Qui tum fumanti primus
Ore tomacla vorat, ter coctaq[ue] tertius ex hoc
Pabula latus edit. Sic vasta subilia eodem*

Fin-

Pinguescunt nutrita cibo, & pinguissimus ille est,
Qui postrema decem decocta absunit omasis.

Putent isti, refers. Farcor. Sed vera prof. re
Quis prohibet? non credo. Veni, coram ipse videbis.
Caluini in stabulo longo stant ordine porci
Atque asini paribus nutriti semper ofellis.

Bezi prior fratresq; alij, qui intacta farinae
Primi fædauerere probroso ferculi rictu.

Quæ postquam in putrem male digessere sacerda
Excreuere suis foria hac lingenda ministris.
Post eadē linxit PASCHASIVS atq; ARNALDVUS:
Qui ter cocti tibi, BVRDI, excrementi voranda
Obiecere, tuo post BAUDIVS hausit ab ore,
Hinc GEMINI LANI RVTGARSCIUS & malesanus
LATIVS, Hig iterum modo deglutita, nepotum
Ablingenda labris reuomunt. Hinc ille Batavis
Semper aqualiculus maiorum stercore turget,
Atque patrum pleno mandunt fætentia rictu
Scommata, & inde crepant semper conuitia Catti,

Non potuerunt in hoc olenticeto tenere se
Auditores, quin deductis corrugatisque nasis,
ita elato cachinno subsannarent illas Hollandi-
cas sues, ut omnis antehac clamor hoc uno em-
blemate recitato vietus videretur.

Omnino delectat nos, ait Imp. i. hoc Epici-
charisma: & non procul est ut exclamem, hanc
non esse hederam post Antiftheria, & post ci-
tharam

charam sonum, & post bellum machinas, sed esse versus; qui certare debeant cum triplici hodierna Recitatione, & certamen Poëticum non tam sequi quam superare videantur. Quos proinde Te, Tribune pleb., cum Actis hodierni Senatus Apollinei publicare volo siue iubeo.

Tu vero quam habes coronidem, Præfecte Celerum, appone. Habeo, ait, Epigrammata velut Apophoreta, quæ benevolentia. S. P. Q. Rhetorici auferenda tradji velim.

Lege, Praeco.

Castus Scaliger.

Datam Cybellæ fregerat fidem quondam
 Idaus Atys improbae dolis Nymphæ
 Euictus, ehen, post scelus subit legis
 Cura violata pectus & furens scribit
 Reis perennem partibus feram legem:
 Cæsar cucullo teste leucophæato
 Non Dindymenæ, sed Deo suo castum
 Quondam sacrarat corpus, at sacrum rupit
 Fædus libido, nec tamen reos vindex
 Truncauit artus. Sed nefas Stygi liquit
 Istud piandum. Ni tamen pater, quis scit?
 Sic arbitremur; impiè fatum fecit
 Lustrale tanti criminis caput, gnatum.
 Sed hoc Bataæ planius nurus dicant.

In

In Calumniatorem.

*Calumniator caluus ut frequens castos
 I E S V sodales ambit, lupas querens
 Intrà penates pre quibus minus Castum
 Vestale templum: cumque fœminæ nullum
 Vestigium intrà limen ingemens vidit:
 Ergo, inquit, ubi nulla Chione, Spori plures
 Viuant necesse. Dic mihi, putas verum?
 Quid ergo vester Battanus Thrafo, an mæchus
 An Draucus, an Cinædus, an spado viuit?*

Ad Burdium & Baudium.

*Natura quamuis liberos neget tibi
 Effæte BVRDI, nec tibi, BAUDI, tua
 Similes parentis Hecuba filios creet;
 Ne liberorum iura quis trium petat.
 Vtroque dignus natus est IANVS BIPRONIS,
 Vtrumque uterque filium agnoscat suum.
 Alter CANINVM stemma latratu probat,
 Alter ASINI instar rudit, hic BAUDI est tuus.*

MINISTRORVM
Caluinianorum
Descriptio.

Οφεναγαστοιδαι, ρινηγαστεπηζουγενειοι,
 Σακχογενειοιριφοι, η λοπιδαρπαγιδαι,
 Ιμετενωπεριθελλοι, ηλιποκειβλεπέλαιοι,
 Νυκτιλαθραιφάγοι, νυκτοπαταπλάγιοι,
 Μερακιεξαπάται, η συλλαθοπευσιλαβητοι,
 Δοξοματαιοσόφοι, ζηταρετησιοιδαι,

Vertebat Inl. V. Ios. Sc.

Silonicaperones⁸, Ulbrißasperomenti,
 Manticobarbicola, exterebropatinæ,
 Planipedatquelucernitui, suffarçinamicii,
 Noctilatentiuori, noctidolostudij,
 Pullipremoplagij, sutelocaptiotricæ,
 Rumigeraucupidæ, nuginanoricrepi.

In Caluinistas.

Ποικιλογλωττοιλάλοι, λογοδιδαστεχυνοποιται,
 Δοξοταπεινόφρονει, δερματαλωπειδαι,
 Βιλοδολοσκόλοι, η ἐμβασιαρχοτύρανται,
 Χερματιβιζεψιλοι, πραγματιβιρροκόμοι,
 Φωιοχιταιγοδύται, χαματελκεσισυρρεετόπεπλοι
 Αψοφοριθμοβάται, η ερεφελαιοβλέποι,
 Στυγνοπροώπονερέις, πλαγιομερεεπιχθονοβάλλοι,
 Βεβλιοσεεβλοκόπαι, ρεμφαρετησιοιδαι,
 Δοξοταλαιοκαθεις, κακοπισιοσρκοπατηται,
 Μερακιεξαπάται, παρθενοπαιδοπίπαι.

CL. Sa. Annorum XVII.

In Batauos

Cur sic Batauus, Martia quondam decus
 Solus palæstræ, degener campo exulat,
 Ut primum arenae C L A R V S impressit pedem?
 Nec pullus usquam masculus pugnam parat?
 Horret Solæcis, Batauus ex latebris refert.
 Indignus ille miles Heroum manu,
 Secreta non mihi Iuppiter vestra indicat;
 Tamen, Bataue, quid velis capio satis,
 Hæc Vua nempe dentibus vestris acet.
 Armata nimium ueribus pungit rosa.
 Duram lacerti edentuli limam timent.

Variè quidem ad singula applausum fuit, sed
 in extremo maximè, cùm iam dimitterentur,
 robustius hæc insonuerunt: **HOC HABENT, HOC**
HABENT: VÆ VICTIS, VÆ VICTIS. Nec fuit qui
 non optaret ab Hollandis campum dari, in quo
 sub Augustum Rethores vegeti firmata ætate
 ad Gloriam decurrant, **Calumniatoribus pede**
 presso insistentes.